



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.







Mason CC. 232

CHRISTIANI CORDIS
GEMITUS,
SEU
SOLILOQUIA.

AUTORE J. H**

TOMUS SECUNDUS;

In quo continentur

ORATIONES DIVERSÆ,
Spiritu, verbisque Scripturarum ac SS.
Patrum refertæ & contextæ.

Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu; & in ipso vigilantes in omni instantiâ & obsecratione pro omnibus Sanctis. Ephes. 6. 18.



PARISIIS,

Typis PH. NIC. LOTTIN, viâ San - Jacobæâ,
juxta Ædem S. Yvonis, ad insigne Veritatis.

M. DCC. XXXII.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

1870

30

11A

JOHN A. ...
...



...



ORATIONES

DIVERSÆ

SPIRITU VERBISQUE
SCRIPTURARUM AC SS. PATRUM
REFERTÆ ET CONTEXTÆ.

ANTE ORATIONEM PRÆPARA
animam tuam. *Eccli. 18. 23.*

Domine , doce nos orare. Luc. 11. 1.

AD te, Domine, perveniat ora-
tio mea, ex desiderio æterno-
rum bonorum excussa & jacu-
lata. Adjuva eam ut perve-
niat, ne deficiat in itinere medio, &
quasi collapsa corruat. Fac ut ipse oran-
do non deficiam, eo quòd citò non exau-
dis. Nam etsi nondum eveniunt bona
quæ postulo, securus tamen sum, quia
postea cum fœnore venient: scio enim
cui credidi. Novi quia fidelis es omni-
bus invocantibus te, & dives speranti-
bus in te.

A

AD POSTULANDUM A DEO
Spiritus Sanctum.

Tota ex
S. Scrip.
& SS. Pa-
tribus.

LUC. II.
13.

S. Bern.

S. Ambr.

S. Bern.

S. Aug.

S. Bern.

Emitte Spiritum tuum, &c. Pl. 103. 30.

DOMINE, qui dixisti per Filium
tuum: *Quanto magis Pater vester*
dabit spiritum bonum petentibus se: etiam,
Domine, da nobis spiritum tuum opti-
mum & lumen ejus indeficiens, adversus
tenebras spiritûs nostri & infirmitates
pessimas & perseverantes. Da nobis spi-
ritum duplicem, illuminantem intelle-
ctum, & inflammantem affectum. Da
nobis spiritum renovantem nos, & cor
mundum creantem in nobis, ad intelli-
gendum & amandum & laudandum; ut
ubi abundavit peccatum, ibi abundet
gratia, in laudem gloriæ gratiæ tuæ. Da
nobis spiritum veritatis, quem mundus
accipere non potest, & quem mundus
auferre non possit; ut digna verbo nego-
tia gerentes, vivamus jugiter in conspe-
ctu tuo intelligentiâ veritatis internæ,
intelligentiâ gratiæ christianæ.

Da nobis spiritum charitatis & humi-
litis, ut nunquam deseramus viam ve-
ritatis, sed simus semper cooperatores
ejus & coadjutores vitæ. Da nobis spi-
ritum prævenientem nos in benedictio-
nibus dulcedinis, spiritum adjuvantem
nos in benedictionibus altitudinis, spi-

ritum consummantem nos in benedictionibus plenitudinis. Da nobis spiritum timoris tui , quo ad te impellamur efficaciter ; spiritum pietatis , quo attrahamur suaviter ; spiritum scientiæ , quo instruamur vitaliter ; spiritum fortitudinis , quo erigamur humiliter ; spiritum consilii , quo meliora charismata , & voluntatem Dei bonam , beneplacentem , & perfectam æmulemur utiliter , ad ædificationem Ecclesiæ quærentes ut abundemus magis ; spiritum intellectûs & sapientiæ , quo , torrente voluptatis tuæ , torrente veritatis & charitatis , inebriemur abundanter ; ut pestiferam vitiorum dulcedinem , jucunditas spiritualis unctiois excludat ; & cœlestibus deliciis imbutos , tristitia vel delectatio terrena non tangat.

Da nobis spiritum fidei , ut vivamus ex fide , contemplantes non quæ videntur , sed quæ non videntur ; spiritum lenitatis , qui extinguat iram , & perficiat justitiam ; ut instructi omni scientiâ , possimus monere alterutrum ; spiritum sustentantem infirmitatem , ut virtus tua in infirmitate nostrâ perficiatur ; spiritum concupiscentem adversùs carnem , ut nunquam faciamus voluntatem carnis & cogitationum , ut non quæcunque volumus , illa faciamus ;

4 O R A T I O N E S

spiritum testimonium reddentem spiritui nostro quod sumus filii Dei, ut sciamus quæcunque donata sunt nobis, & non simus nostri, gratias agentes tibi semper in omnibus & pro omnibus; spiritum clarificantem te & Filium tuum, ut quodcunque agimus in verbo aut in opere, omnia ad laudem & gloriam nominis tui faciamus; spiritum postulantem pro sanctis, & interpellantem gemitibus inenarrabilibus, ut solliciti simus pro invicem in orationibus, orantes pro invicem ut salvemur.

Da nobis spiritum docentem nos omnem veritatem, & suggerentem nobis omnia quæcunque dicta sunt nobis; ut simus docibiles tui, & non ultra avolare facias à nobis doctorem nostrum, sed sint oculi nostri videntes præceptorem nostrum, & aures nostræ audiant verbum post tergum monentis; Hæc est via, ambulate in eâ; spiritum testificantem quoniam Jesus Christus est veritas, ut simus testes in Christo fideles secundum testimonium Israël, ad confitendum iniquitates nostras & gloriam magnificentiæ regni tui; spiritum per singulos gradus pronuntiantem illum, & quasi principi offerentem eum, ut nunquam in conspectu tuo vacui appareamus; spiritum quærentem faciem tuam

Isai. 30.
21.

semper , ut ambulemus , stemus , & habitemus coram te in conspectu tuo , providentes te in omnibus viis nostris , ut vincamus aduersarios nostros præsentia tuâ magnificè delectati. Per Christum Dominum nostrum.

A R M A L U C I S ,
quibus vincit Christianus.

DA nobis , Domine , memoriam æternorum semper recordantem :

Mentem puram , & lucentem ex confortio sermonis Domini :

Cogitationes sanctas , quibus charitas nutriatur & conservetur :

Meditationem veritatis , ex ejusdem amore constantem & perpetuam :

Voluntatem rectam , & voluntati tuæ conformem :

Desideria , ex igne Cœli ardentia :

Fidem mundi contemptricem ; in paupertate , in contumeliis , in doloribus gloriantem :

Timorem præsentium , quibus decipimur :

Spem æternorum , quâ nobilitamur :

Timorem Dei , omnibus sæculi malis & tentationibus potentio-rem :

Charitatem fraternitatis patientem ,

6 O R A T I O N E S

quæ nullis vincatur injuriis :

Orationem nubes penetrantem :

Lacrymas salvatrices , quibus cor
mutetur & lavetur :

Cor vigilans , sensibus perpetuâ mor-
tificatione sopitis :

Cor contritum & humiliatum, quod
nunquam erigatur :

Cor docile , quod semper erudiatur
in plenitudinẽ scientiæ salutis :

Cor mundum , quod nunquam in-
quinetur :

Cor ardens , quod nunquam refrigef-
cat :

Rationem fidei subditam :

Sensus subditos rationi :

Linguam innocentem, silentio & lau-
dibus Dei honoratam :

Oculos castos , qui Cœlum magis
quam terram noverint :

Odoratum , unguentorum tuorum
odore affectum :

Aures non curiosas , clausas mundo
& apertas verbo Dei :

Gustum christianum , cui deliciæ fel
sint , & fel deliciæ :

Tactum mollietiei inimicum , ex per-
petuo crucis contactu sanctificatum :

Ventrem parcum , & non repugnan-
tem jejuniis :

Renes præcinctos , & crucis mortifi-
catione securos.

Manus non otiosas, laboris patientes,
charitatis & obedientiæ ministras :

Pedes non inquietos, à mundo aver-
sos, & in solitudine perseverantes :

Somnum necessitati tantùm & vigi-
liis servientem :

Vigilias amissi temporis compensa-
trices :

Tristitiam poenitentiae veræ, salutis
operatricem :

Gaudium spiritûs, quo vana mundi
gaudia contemnantur :

Iram justitiæ famulantem :

Manfuetudinem sapientiæ, vincentis
in bono malum :

Spei & timoris rationes mundo con-
trarias, quibus timeamus quod sperat,
& speremus quod timet :

Omnes cordis affectus charitati ser-
vientes :

Humilitatem in charitate ita radica-
tam, ut quodlibet pondus, & cujus-
cunque dignitatis & gloriæ fastigium
sustinere possit :

Mores ex perpetuo fidei influxu uni-
formes :

Dies plenos, quibus nihil desit quod
nobis Christus suâ morte comparavit :

Vitam, ut morituris sollicitam :

Mortem, ut victuris tranquillam &
lætam.

PRÆCEPTA VITÆ,
in argumentum orandi.

Luc. 10.
18.

DA mihi, Domine, ut hæc faciam,
& vivam. Credam Evangelio fir-
miter. Sperem confidenter. Meipsum
cum mundo timeam vehementer. Falsa
mundi bona contemnam nobiliter. Bona
æterna appetam infatiabiliter. Stem co-
ram te perseveranter. Laudem te aman-
ter. Amem ardenter. Adorem tremen-
ter. Orem ferventer. Gratias agam in-
desinenter. Vigilem prudenter. Abne-
gem me veraciter. Laborem diligenter.
Taceam libenter. Loquar sapienter. Ce-
dam aliis reverenter. Omnia faciam o-
bedienter. Obediam alacriter. Mea &
aliorum onera feram patienter. Ten-
tatori resistam constanter. Certem forti-
ter. Vincam humiliter. Vivam fideliter.
Moriar lætanter. Amen.

MORBI, NATURA INSANABILES,
cœlesti egentes Medico.

Matt. 20.
32.

DOMINE Jesu, qui tantâ charitate
interrogas: *Quid vis ut faciam tibi?*
da mihi quod respondeam; & id qui-
dem, ex vero sensu tot miseriarum &
infirmorum mearum.

Domine, ut videam, quia cæcus sum, & lumen cœli non video.

Domine, ut adhuc magis videam, quia cæcus natus sum, in peccato conceptus, & video homines velut arbores, visu hebeti, nondum videns quantum differant æterna à caducis.

Domine, ut te audiam, qui verba vitæ æternæ habes; quia surdus sum, non habens aures audiendi.

Domine, ut loquar ad te, quia tibi mutus sum & mundo loquax.

Domine, ut curram in viâ mandatorum tuorum, quia claudus sum, & claudico in duas partes.

Domine, ut fursùm aspiciam, quia inclinor in terram, & curvatus sum usque in finem.

Domine, ut extendam manum, quia arida est ad benefaciendum.

Domine, ut imperes feбри, ut relinquat me, quæ amore temporalium depascitur animam meam & corpus meum.

Domine, ut surgam, & ministrem tibi cum me sanaveris, quia jaceo & teneor magnis febribus.

Domine, ut non sitiam aquas morbum augentes, quia hydropicus sum, plenus ardenti cupiditate bonorum pereuntium.

Domine, ut videas fidem portantium

IO O R A T I O N E S

me , quia paralyticus sum ; & remittas mihi peccata mea , & saner , sapiens & quærens tantum quæ sursum sunt , quæ autem sunt super terram nec quærens nec sentiens.

Domine , ut procidens in faciem & adorans te, leuem vocem meam & dicam : Jesu præceptor, miserere mei; quia plenus sum leprâ, contaminatus sordibus, malo exemplo nocens conversantibus mecum.

Domine , ut sapiam , quia lunaticus sum , qui mutor ut luna ; verè stultus, qui rebus omnibus utor ad exitium meum.

Domine , ut increpes Spiritus immundos qui obsederunt me , & vim faciunt ut rapiant animam meam.

Domine , ut tangam saltem fimbriam vestimenti tui , quia sanguinis fluxum patior , & à nullo præter te medico possum sanari.

Domine , ut statim descendam in Piscinam Sanguinis tui , quia triginta & octo annos habeo in infirmitate meâ ; seù verius morbi mei cum vita incœperunt , & hæc ipsa vita mea morbus est.

Domine , ut festines , quia jam incipio mori , & sum in extremis.

Domine , ut vivam , quia mortuus sum , & fortè plusquam quatruiduanus.

Domine , ut liberes me ab hâc tempe-

state cordis mei, quia ventus validus,
& ecce pereo.

Domine, ut salvum me facias, quia
incipio mergi, & intraverunt aquæ us-
què ad animam meam.

Domine, ut inclinans te scribas in ter-
râ cordis mei verbum misericordiæ &
salutis, quia mundum & me amans,
fornicatus sum à te.

Domine, ut alas me in deserto, quia
non habeo quod manducem, & deficio
in viâ.

Domine, ut siti pereunti in terrâ hac
aridâ subvenias, quia vinum non habeo
lætificans cor, & germinans Virgines;
nec aquam saltem habeo, quæ mutetur
in vinum, majoriindigens miraculo.

M E N S A D I V I T I S,

ex quâ pauperes nutriuntur;
seu cibus animæ.

NON in solo pane vivam, Domine,
sed vivam in omni verbo quod
procedit de ore tuo: ut eodem verbo
nutriar quo creatus sum.

In omni mortificatione, & in cruce
Filii tui, quâ regeneratus sum, & quâ
sedata est fames orbis terrarum.

In pane subcinericio, & in cinere
pœnitentiæ, qui tanquam panis man-
ducatur, & deliciis abundat mundo in-
cognitis:

In jejunio, quod fame corporis animam nutrit :

In sudore vultûs, in quò comedendum est, lassitudine utili lassam animam confirmante :

In absynthio quò cibus peccatores, cujus virtute, si non respuatur, fiunt justî :

In virgâ & onere, quæ pigrorum cibaria sunt, quibus qui bene nutriuntur pigri esse desinunt :

In pane egentium, qui non solùm est vita pauperum, sed quo divites etiam felicîus nutriuntur :

In panibus propositionis, & omni re quæ offertur Domino meo, quæ cedit in alimentum & robur offerentis :

In pane abscondito humilitatis, qui & ipse viscera nutrit, & majorem vim addit omnibus alimentis :

In lacte & pane fidei, ex quo justus vivit :

In quiete silentiî, necessariâ comedenti, quâ & Angeli ipsi nutriuntur :

In adipe frumenti & mannâ veritatis, in corpore Christi, quo nutriuntur, & vivunt quicumque vivunt :

In omni voluntate tuâ, quæ cibus fuit Filii tui, & cibus est fortium :

In pane vitæ, in omni affectu & actione charitatis, cujus sapor sapor est mannæ :

In rore Cœli, & spiritu orationis, qui & ipse nutrit, & omnium aliorum alimentorum condimentum est:

In pane lacrymarum, qui suscitatur mortuos, sanat ægros, roborat infirmos, & perficit sanos;

In somno spirituali, confirmante cor ad vigilandum, qui cibus est viscerum, & cibus sponsæ:

In solido cibo veræ Theologiæ & contemplationis, quo perfecti perveniunt usque ad montem Dei:

In cibo qui non perit christianæ perseverantiæ, quo salvantur quicumque non recedunt à convivio tuo, & in sumptione alimentorum tuorum perseverant.

AD POSTULANDAS PRÆCIPUAS VIRTUTES.

PRECOR te, Domine, ut adis: menti meæ suprema pax; & eam spiritui meo spiritu tuo docilitatem omnis boni, facilitatem humilitatis, lucem veritatis, dulcedinem charitatis, pacem pietatis infundas, ut victor animi mei malim esse per modestiam, quam cujuslibet contradicentis per contentionem; & vinci à veritate tam velim & merear, quam vincere per quaecunque mendacium odit anima mea.

totâ fortitudine nostrâ, nihil aliud facientes. Totum cor tibi servemus, ut totum sanetur; quidquid enim ex eo usurpaverimus, corrumpitur, & sibi perit.

Ita est, Domine; sibi vivere cor non potest, quin moriatur. Si meum sit, perversum est; tuum sit, ut rectum sit. Scimus, & hoc revelare dignatus es, quia nihil in eo boni est. Totum mutetur charitate sincerâ, ut toti mutemur; nec simus amplius quod sumus, amando quod sumus, sed amando quod tu es; quia solus verè es, nec ipsi sumus. Non amemus quod non est; sed ineffabili pulchritudine tuâ ita capiamur, ut omnia quæ infra sunt & nos ipsos contemnentes, hoc bonum toti amemus quod facit bonos, cujus dilectio certantis meritum, & vincentis præmium est.

Quis nos separabit à charitate Christi?

Rom. 8. 35.

CONCEDE, quæsumus, Domine, ut nobis res & spes, unus sit amor. Infunde nobis hunc amorem, qui ce- S. Bern. teros in se omnes traducat & captivet affectus. Ipse meritum, ipse sibi præmium sit. Præter se non requirat causam, non fructum. Sit fructus ejus, usus ejus. Amemus, quia amamus; amemus, ut amemus. Sed amemus ex

toto corde , ex totâ animâ , ex totâ virtute nostrâ. Amemus dulciter ; amemus prudenter ; amemus fortiter. Dulciter , ne illecti ; prudenter , ne decepti ; fortiter , ne oppressi , ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloriâ , seu carnis voluptatibus abducamur , dulcescat nobis præ his *Sapientia Christus*. Ne spiritu mendacii & erroris decipiamur , luceat nobis *Veritas Christus*. Ne adversitatibus mundi fatigemur , confortet nos *virtus Dei Christus*.

Zelum nostrum inflammet charitas , informet scientia , firmet constantia. Sit fervidus , sit circumspectus , sit invictus ; ut *nihil nos separare possit à charitate Dei quæ est in Christo Jesu*. *Non tribulatio* , quæ crucem exhibet suavem amanti : *non angustia* , quam nescit , aut quam vincit latitudo charitatis : *non fames* , quam non timet qui justitiam & Deum esurit : *non nuditas* , quæ animam melius operit , & paupertatis ornamentum est : *non gladius* , qui vincientis præmiurn est , & martyrem facit : *neque mors* , quæ vitæ conjungit non amplius moriturum ; *neque angeli* , qui favent amantibus ; & si mali sunt , ipso amore vincuntur : *neque principatus* , quia Ecclesiæ ministri , si sancti , vicarii sunt amoris Christi ; si illi contrarii , se tantum separant à te

non diligendo te , non eos separant qui te diligunt , & quos diligis : *neque Virtutes* , quia omnis potestas sæculi , Filio tuo subjecta est ; *neque instantia* , quæ eò faciliùs contemnimus quò tibi arctiùs inhæremus : *neque futura* , quæ non timet , cui tu Deus præsens es : *neque fortitudo* , quia nihil eo fortius quem amamus : *neque altitudo* extollens se adversùs Deum , quia humili & amanti non nocent superbi : *neque profundum* , quia astutias Satanæ non ignorat qui amat : *neque creatura alia* , hoc est , nec ego ipse , quia tu potentior ad salvandum quam ego ad perdendum.

Adjuva me igitur , & hæc omnia non separant à te. Sed nisi adjuves , certus sum quod tribulatio vincit me , angustia premit , fames dolori est & nuditas opprobrio ; periculum terret , gladius fugat , mors intercipit , vita decipit : ego ipse , cessantibus inimicis , major mihi inimicus. Si adsit spiritus tuus , vinco omnia ; si absit , vincunt me omnia. Da nobis ergo omnipotentem spiritum , ut in his omnibus superemus propter eum qui dilexit nos ; *non certè propter nos , sed* S. Aug.
propter eum qui dilexit nos , Dominum nostrum Jesum Christum.

Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Joan. 4. 16.

DA mihi, Domine, panem charitatis, quo mutatus & sanatus tibi placeam: quærens te, humiliter & indefinenter orando: inveniens te, sapienter & ardenter amando: fruens te, de te & in te gaudendo & adorando, ad saginandam omni bonitate & justitiâ voluntatem meam.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. 1. Joan. 2. 15.

NEc mundum amem, Domine, nec ea quæ in mundo sunt, nec meipsum. Sed amem te in toto corde meo, ut nihil remaneat de eo unde aliud diligam. Non occupetur amor meus, quo possum ad te tendere. Totus amem, & totum amem, ut semper amem; nam si aliquid in te non amavero, aut si aliquid in me amavero (quod ejusdem est dementiæ) amor tam cæcus & imprudens, vel sine tentatione vincitur, & proprio pondere deficit. Nihil ergo in me amem, ut omnia in te amem, & placeas mihi vel cum occidis; qui enim amat te cum percutis, jam sanatur; & qui te amat cum occidis, tam certò vivit, ut amplius mori non possit.

*Videte qualem charitatem dedit nobis
Pater, &c. Joan 3. 1.*

NEMO amat, Domine, sicut tu
amas. Et ipsa patrum patientia
deficit; & ipsa matrum viscera angu-
stiantur; & amici sæpè absunt; & si ad-
sint, semper dare non possunt. Infnitæ
inopiæ, finitis & circumscriptis divitiis
& angustâ charitate subveniri non po-
test; cavendum ne ipsis etiam simus
importuni. Non ita tecum, Domine.
Semper das, & teipsum das; & displicet
tibi, non esse importunos. Semper a-
des, quia ubique es. Semper amas,
quia amor es. Potenter amas, quia Deus
es. Cum nihil esse volumus, nobis es
omnia: lux quâ cernimus, panis quem
edimus, vita quâ vivimus. Non solùm
nobiscum, sed intra nos es, sed in cordi-
bus nostris habitas per fidem. Quid nobis
conjunctius membris nostris? Et tu non
solùm membrum & pars nostri, sed ca-
put & vinculum omnium membrorum.
Tam amas nos, ut nolis esse sine nobis:
tam amas nos, ut suavissimam nobis
necessitatem amandi te imposueris; ecce
enim vivimus amando te, & morimur
non amando.

*Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui
super terram? Pf. 72. 25.*

QUÆRAM te, Domine, ut amem; sed ut quæram utiliter, quæram amando. Amore amoris tui faciam quidquid facio. Sic quæram te amando, ut inveniam adhuc amplius amando, & nunquam te amittam non amando. Non tantum te, sed meipsum amitterem, si non amarem; quia amor tuus vita est vitæ meæ. Felicius esse credam quodlibet pati supplicium amantem te, quam nihil pati & aliis omnibus bonis circumfluere non amantem. Imò duplex felicitas, amare & pati, ut duplex miseria nihil pati non amantem; quia fortè patiendo admoneretur egestatis suæ & verioris miseriæ quæ in defectu amoris est, & adduceretur ad amandum. Impera quod vis, & fac quodcunque libuerit, dummodo augeatur in me amor tuus. Quidquid timeri potest, non timeat cor meum, dummodo ardeat. Longè plus boni in amore tuo flagrante intus, quam mali in omnibus malis foris sævientibus. Sit mihi una rerum omnium mensura, amor tuus. Nihil magnum arbitrer, quod cum amore tuo non conjungitur. Naturam contemnat amator gratiæ, quæ naturam evertit. Quidquid amore tuo

fit, à te fit ; & ideo licet vile & parvum videatur, magnum est. Quidquid fieri potest ab homine non amante te, sine te fit ; & ideo quamvis magnum quid & admirandum videatur, leve est, aut potius nihil est.


Da mihi, Domine, oculos christianos. Judicet in me amor tuus, non sensus, non consuetudo carnalis, non ratio ipsa, quæ nisi amori tuo serviat, periculosa stultitia est. Ut non judicer, Domine, judicet me amor tuus, & postea ad judicandum de omnibus erudiat. Non recedam à iudicio amoris tui, si mundum & meipsum contempsero, si nihil aliud voluero quam salutem meam & fratrum meorum quæ in te est, si nobis placeas & tibi placeamus, si denique unum te in omnibus magis ac magis amavero; ut sit mihi Deus meus pars mea in æternum. Quid enim aliud judicaret amor unus & verus, quam unam veritatem, hoc est teipsum, amari oportere. Amen.

DA nobis, Domine, charitatem Patriarcharum & Prophetarum, qui in vilibus Sacramentis multum te amabant. Da nobis quoque amorem non parvum in parvis, & magnum in magnis. Multum amemus te, quia mul-

tum amasti nos ; & non vivamus nisi ut amemus , quia mortuus es ut amaremus.

Da nobis charitatem Apostolicam Apostolicæ humilitati conjunctam , ut peccata nostra , & periculum peccandi ligendo , pœnitentes credamus Evangelio , cui benè credi non potest , nisi pœnitendo & amando.

Da nobis amorem constantem , quem nulla frangat adversitas ; amorem fortem , qui non tantum à morte non vincatur , sed mortem vincat ipse , & post mortem vincat.



PSALMUS CXVIII,

PSALMUS AMORIS.

1. **B**EATI *Immaculati &c.* Sola charitas facit beatos ; sola facit immaculatos ; sola nos in veritatis viâ constituit in quâ ambulemus ; sola dat vires ad ambulandum ; & ipsa est lex Dei , in quâ semper ambulandum & proficiendum est.

2. *Beati qui scrutantur &c.* Charitas superficie scripturarum non contenta est ; nec quiescit donec latentem in eis inveniat salvatorem , cujus scientiam quærit non ad disputandum sed ad amandum.

3. *Non enim qui operantur iniquitatem &c.*

Qui operatur iniquitatem, non est charitas Patris in eo, cum se invicem impugnent; iniquitas enim spoliat nos charitate, & charitas liberat nos ab iniquitate.

4. *Tu mandasti &c.* Plenitudo legis est charitas. Ut servetur lex sicut servanda est, amari eam oportet; & ut multum servetur, multum quoque amanda est.

5. *Utinam dirigantur &c.* Non propriis viribus legem implemus. Nisi adjuvaremur, non eam implemus: nisi charitas facem præferret in tenebris tam densis, erraremus; nisi sustentaret in tanta infirmitate, caderemus.

6. *Tunc non confundar &c.* Qui sine charitate legem implet, confundetur; quia revera legem non implet, etsi eam implere videatur. Qui in observatione mandatorum aliud quærit quam Dei amorem, nescit quo vadat, & cæcus est.

7. *Confitebor tibi &c.* In viâ Dei non aberrare non sufficit, nisi humiliter agnoscas, tibi datum esse desuper, charitate gressus tuos dirigente, ut non errares.

8. *Justificationes tuas &c.* Nos legem servaturos promittere possumus, dummodo auxilium gratiæ assiduis precibus imploremus, quâ solâ servari potest.

9. *In quo corrigit &c.* Vis corrigi? Ama. Caritas facit poenitentes, & conservat innocentes. Verbum Dei transgressus es, cum illud non amasti: ama, & non transgredieris.

10. *In toto corde meo &c.* Quære Deum, & invenies. Sed ut eum benè quæras, nil aliud quære. Amans non cessabis, si nil aliud quam sanctum hunc amorem optaveris.

11. *In corde meo abscondi &c.* Nil facilius amittitur quam pretiosa hæc gemma amoris Divini. Vis illam non amittere? In corde nascitur, in corde servetur. Thesaurum tuum non ostentes, & furem cave. Quandiù solo Deo teste contentus eris, & illum intus adorabis, non peccabis.

12. *Benedictus es, Domine, &c.* Si salvantem hanc amoris scientiam assequi voveris, agnosce ab alio eam doceri non posse quam à Deo, & lauda docentem. Magna pars cœlestis hujus scientiæ in laude consistit: Deus non docet ingratos.

13. *In labiis meis &c.* Quidquid Doctor tuus loquitur aut facit, à te laudetur. De viâ amoris, labia tua cor erudiat. Intus lauda, foris lauda; ut sanctitas cordis etiam redundet in sanctitatem labiorum.

14. *In via testimoniorum &c.* Sola charitas, testis idonea veritatis. Vis testis esse fidelis? gratis ama; & nil aliud te delectet, quam amor Dei tui. Charitatis divitias admirare, & alias omnes contemne.

15. *In mandatis tuis &c.* Nulla scientia absque studio comparatur. Stude amare, & amari. Affuesce amori: in cœlesti hâc palæstrâ semper exercearis. Si labaris interdum, agnosce culpam. Si non labaris, gratias age sustentanti; & Doctor tuus semper tibi ob oculos obversetur.

16. *In justificationibus &c.* Nil magis time quam oblivionem beneficiorum Dei. Si nunquam illa obliviscaris, semper amabis. Amor, custos memoriæ; memoria beneficiorum, custos amoris.

17. *Retribuere servo tuo &c.* Amor hominis quo Deum amat, non meritis hominis tribui debet, sed meritis Christi. Hoc facit per spiritum suum, ut amando vivamus, & omnem legem impleamus.

18. *Revela oculos meos &c.* Nisi charitas oculos nostros aperiat quos cupiditas clausit, miramur res vanas; & res magnas ac verè admirabiles non miramur. Quid mirabiliùs salute hominis quam Deus factus homo operatur, quod

Scripturæ universæ prædicant. Hæc sunt miracula quibus charitas pascitur in lectione Scripturarum.

19. *Incola ego sum &c.* Effectus hic est charitatis, ut non ametur exilium, sed patria sola ametur, quæ veri amoris patria est. Hinc, exilium suum amanti- bus, via quæ ad patriam ducit, à quâ recedunt, absconditur; sanctis in eâ ambulanti- bus manifesta est.

20. *Concupivit anima mea &c.* Quia refrigescit charitas, verum bonum verè non desideramus. Sed quia per Dei misericordiam aliquod in nobis amoris initium est, aliquod etiam desiderii initium est; & concupiscit anima nostra desiderare, non divitias mundi, sed divitias Dei, quæ in justificatione hominis ostenduntur. Sed cum infirmum sit desiderium, nisi semper desideraremus, cito amitteretur.

21. *Increpasti superbos &c.* Cum naturalis sit charitati humilitas, superbi non amant; hinc non excusantur. Quid enim detestabilius quàm amare mundum plenum omnibus malis, & non amare Deum in quo sunt omnia bona, & qui est summum bonum. Qui hoc amoris præceptum violare non timent, non mirum ab eis alia omnia præcepta violari.

22. *Aufer à me opprobrium &c.* Non a-

mare Deum , unum est amanti opprobrium quod maximè timet. Hunc solum contemptum reformidat. Ab eo liberari optat , quia amat.

23. *Etenim sederunt &c.* Hoc uno timore non amandi , sancti ab omni alio amore liberantur ; nec attendunt quid possint adversum se principes , sed quid possit Deus , in cujus omnipotentissimâ misericordiâ acquiescunt. Ideo persecutionibus non vincuntur, sed roborantur.

24. *Nam & testimonia tua &c.* Amor & meditatio veritatis , fortitudo illorum est, quia nihil aliud volunt quàm quod vult Deus , cui nihil resistere potest. Hinc facile omnia vincunt.

25. *Adhesit pavimento &c.* Qui amant, humiles sunt ; & ideo audit Deus orationes eorum, vitam charitatis postulantium , & auxilium non negat quod toties promisit humilibus. Gratiam enim quam dat humili , non aufert nisi superbo.

26. *Vias meas enuntiavi &c.* Quia *ju-* Prov. 18.
stus , prior est accusator sui , peccata sua 17.
 confitentur in amaritudine amoris pœnitentis , semper veniam impetrantis. Hinc exaudiuntur , & docentur quod maximè discendum est , justificationem quidem esse hominis , sed justitiam esse Dei.

27. *Viam justificationum &c.* Non tantum omnem admirationem superas, Domine, sed via ipsa quæ ad te ducit mirabilis est. Hanc viam constanter teneam; aut si interdum aliud cogitando parum aberrem, statim redeam ad viam hanc charitatis & humilitatis, nil magis timendo quam viam inferni, quæ semper inferno proxima est.

28. *Dormitavit anima &c.* Gaudeam, Domine, vocatus ad regnum tuum, & nullum erit tædium gaudentis in te & amantis te, nisi tædium mundi & vitæ meæ, amoris tuo utile. Si aliud tædium sensim irrepat, signum hoc est dormientis fidei, & reforescentis charitatis. Tunc ergo subveni periclitanti, & nutantem amorem verbis amoris tui excita.

29. *Viam iniquitatis &c.* Heu me, cupiditas mea, quæ via est omnis iniquitatis quâ itur ad infernum, quàm contraria est charitati tuæ, quæ via est omnis virtutis quâ itur in cœlum! Misere mei, Domine, secundum legem misericordiæ tuæ, quæ sola mederi potest cupiditati meæ.

30. *Viam veritatis &c.* Via veritatis, charitas est; cum *non intretur in veritatem nisi per charitatem.* Qui amat te, quid aliud eligeret quàm veritatem, quæ bo-

num est charitatis? Quidquid aliud eligitur, mendacio eligitur, & mendacium est, cui conjuncta est oblivio veritatis.

31. *Adhæsi testimoniis tuis &c.* Non adhære testimoniis charitatis tuæ, signum est non amantis te. Cum illis adhæreo, gratias tibi agam, ut testimoniis & verbis vitæ adhære non cessem; ut semper vivam, & non confundar, sicut confundi necesse est qui te non amant, & non vivunt.

32. *Viam mandatorum &c.* Vivunt, Domine, qui amant te, & currunt ut adhuc magis vivant magis amando; & hoc donum tuum est. Ut enim curratur in viâ mandatorum tuorum, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis.* Rom. 9.
16.

33. *Legem pone &c.* Etiam, Domine, non justificantur qui non amant. Caritas tua, unica est via salutis. Hanc viam semper teneam. Semper amem, ut semper desiderem amare; ne cessante desiderio charitatis, caritas refrigescat, & moriar.

34. *Da mihi intellectum &c.* Nullum sit mihi aliud studium quàm veritatis, ut impleam legem charitatis. Fac me scrutari verba vitæ; fac me intelligere quod scrutor; fac me amando implere quod amando intellexi.

35. *Deduc me in semitam &c.* Qui mi-

fericorditer mihi dedisti ut vellem ambulare in viâ mandatorum tuorum, (quod primum necessarium erat) da mihi ut in iis ambulem; & ne aberrem, duc ipse, & sustenta ambulantiem.

36. *Inclina cor meum &c.* Confitebor Domino iniquitatem meam. Aliud volo, quàm quod jubes. Non tantum aliud volo, sed contrarium volo. Cor ad mortem, & ad desideria mortis inclinatum, inflecte ad vitam & ad desideria vitæ ac veritatis, ut vivam.

37. *Averte oculos meos &c.* Omnes sensus mei corrupti sunt. Tam infirmus sum, ut videndo vanitatem, periculum sit ne vanitatem amem, & vanus fiam. Tam infirmus sum, ut ab eâ videndâ nec ipse oculos meos prohibere possim. Claude illos vanitati, ut aperiantur veritati. Morientem me in viâ cupiditatis meæ, vivifica me in viâ charitatis tuæ.

38. *Statue servo tuo &c.* In verbis tuis, remedium animæ meæ. Sed quia facile effluunt & elabuntur alia cogitando, timor & amor scribant in tabulis cordis mei, ut semper ob oculos obversentur; & sic me protegat amor veritatis, & veritas amoris.

39. *Amputa opprobrium meum &c.* Unum est hominis opprobrium, non amare Deum suum; sed heu, quàm vereor ne

huic opprobrio sim obnoxius ! Consolatur me tamen timor meus ; aliquod enim signum est amoris , timor non amandi.

40. *Ecce concupivi mandata tua &c.* Benedictus Dominus qui dedit mihi desiderium vitæ, & amoris quo vivitur ; sed hoc non sufficit , nisi amorem ipsum infundas ; quod æquum est , non quia hoc mereor , sed quia tu mereris, ut consummes opus tuum quod incepisti.

41. *Et veniat super me &c.* Misericordiâ mihi opus est , misericordiam peto. Miserere , sed ut misereri potes , & eo modo quo te misereri Scripturæ docent. Non enim misereris nisi amemus , aut ut amemus. Misericordiam petendo , amorem peto , qui solus misericordiæ tuæ effectus est dignus misericordiâ tuâ.

42. *Et respondebo exprobrantibus &c.* Quid exprobrare possent inimici amanti te ; aut quid non exprobrarent non amanti ? exprobrent , insidiantur , & tentent. Unum est quo me tueri possum , amor tuus , aut saltem spes amoris , quem unum Scripturæ tuæ loquuntur , & promittunt.

43. *Et ne auferas de ore &c.* Domine , semper te amem , ne mentiar mendacio pessimo ; & nunquam mentiar , ut semper amem. Sit in me charitas tua cu-

stos veritatis, & veritas custos charitatis. Hoc sperem, & nihil aliud sperem, ut bene sperem.

44. *Et custodiam legem tuam &c.* Aliæ leges in viâ tantùm valent, ad sustentandam exilii ærumnam; sed lex amoris, lex exilii & patriæ est, quia Deus æternus æterno amore amandus est.

45. *Et ambulabam in latitudine &c.* Omnia, amanti, & desideranti viam æternam, facilia sunt. Si quis difficultatem causatur, nec bene amat, nec bene desiderat.

46. *Et loquebar de testimoniis &c.* Lex amoris, lex Regum, & lex libertatis. Quomodo timeret in conspectu Regum terræ, qui ad majus regnum, & regnum ipsum Dei vocatur; quod maximè, nil præter Deum timendo, acquiritur.

47. *Et meditabar in mandatis &c.* Otiosa & laboriosa meditatio, non amanti. Facile est avaro cogitare de pecuniâ. Hoc illi difficile esset, si de eâ non cogitare juberetur. Deum ardentè amanti, de aliâ re cogitare pœna est, & gravis labor.

S. Aug. 48. *Et levavi manus meas &c.* Da mihi amorem vacantem. Otiosus esse non potest. Aliquid agit, si amor est; & magna agit, si magnus est. Deliciæ illius,

obedire imperanti. Quidquid facit, facit amando, qui verè amat.

49. *Memor esto &c.* Omnis spes amantis Deum, in amore Dei. Hunc Scripturæ omnes præcipiunt, & præcipiendo consolantur nos. Quid enim jucundius amanti, quàm id sibi maximè imperari quod maxime optat, & quo regnum æternum acquiritur.

50. *Hæc me consolata est &c.* Magna est miseria nostra, magnæ exilii ærumnæ; sed magna & incomparabilis consolatio, ab exilio vocari ad regnandum. Hac spe vivificatrice gaudemus, si amamus; & omnis vita nostra, quid aliud quàm *festivitas spei nostra* dicenda est. s. Hilar.

51. *Superbi agebant usquequaque &c.* Hanc spem & hanc consolationem ignorant superbi, & ideo superbi sunt. Hæc spes est humilium, & facit humiles, verâ & generosâ humilitate quæ constanter mundum contemnit; quid enim ei magnum videri potest, qui æternitatem cogitat & sperat?

52. *Memor fui judiciorum &c.* Quid aliud recordaretur qui tantum bonum amat, quàm hoc ipsum quod amat? Quidquid egisse Deum Scripturæ docent, hoc egit ut amorem suum erga homines testaretur. Hæc consolatio amantium: nulla enim illis major & dul-

cior consolatio esse potest, quàm amoris.

53. *Defectio tenuit me &c.* Affectus animæ, & passiones non excluduntur amore Dei, sed sanctificantur. Tristis esse potest qui amat, sed Deo tristis est. Et quid magis lugeret, quam tot homines reperiri qui non amant Deum; cum amet, & eum qui non amatur & tam amandus est, & eos qui non amant?

54. *Cantabiles mihi erant &c.* Quæcunque amanti Deum calamitas ingruat, semper laudat; quia, etsi non amaret malum quod accidit, amat per quos accidit, & ipsam Dei ordinationem amat & laudat. Variæ locorum & rerum mutationes huic cantico & laudi non obstrepunt, quia non mutatur quem laudat.

55. *Memor fui nocte &c.* Nullæ noctis tenebræ, splendorem amoris in animâ radiantis impediunt. Nox quæ velum obducit omnibus creaturis quæ tunc videri non possunt, idonea est charitati Deum invisibilem fide videnti. Felix qui laudat in adversis; nam verè amat: & omnem legem implet, qui tunc amat.

56. *Hæc facta est mihi &c.* Vera consolatio vero amoris deesse non potest. Ama legem Dei tui; adde obedientiam amoris, & delectare in Deo tuo cum facis

quod imperat ; & omnibus bonis afflues, quæ latere possunt in charitate, sed deesse non possunt.

57. *Portio mea &c.* O beatam sortem amantis ! cui felix hæc portio contigit, nil aliud quærat, & amore Dei sui contentus sit, ne amplius non amet aut minus amet.

58. *Deprecatus sum &c.* Quid aliud precaretur, cui hanc legem amoris custodire datum est, nisi ut illam magis ac magis custodiat ; ne thesaurum suum amittat, cum minus anxie custoditur ? Magnam hanc misericordiam ex toto corde postulat, quia Deus frigidè oranti tantum donum largiri non solet.

59. *Cogitavi vias meas &c.* Cogitare vias suas, humilitatis est, vias suas coram Deo arguentis. Sed eas emendare, & verbo Dei ad verbum Dei converti, opus est amoris. Mores & vitam non mutat, nisi qui amat.

60. *Paratus sum & non sum turbatus &c.*
Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. S. Ambr.
 Semper amor paratus est ad obediendum & amandum ; nec unquam turbatur, nisi cum periculum est non amandi.

61. *Funes peccatorum &c.* Ne mireris, funes istos ad peccatum implicatos, oblivionem legis inducere non potuisse, quòd Propheta amaret ; nam potentio-

ra sunt vincula charitatis funibus vanitatis.

62. *Mediâ nocte surgebam &c.* Nihil amore vigilantius. Servis Dei, nox non tam ad dormiendum quàm ad amandum concessa est. Verè amat, qui non minùs justitiam Dei quàm misericordiam laudat.

63. *Particeps ego sum &c.* Qui verè amat, omnes amat qui amant Deum. Verus amor, dum non quærit quæ sua sunt, lucra aliorum etiam in suum lucrum convertit.

64. *Misericordiâ Domini &c.* Signum hoc est amantis, si non tantùm pro se, sed etiam pro aliis gratias agat. Vera charitas, universalis; & tam magnam in universâ terrâ Dei misericordiam admiratur & laudat, unde plenius miracula gratiæ Dei edocetur.

65. *Bonitatem fecisti &c.* Quis commemorare posset omnia beneficia tua, Domine, & maximum omnium beneficiorum tuorum, cum jussisti ut amarem te, & dedisti quod jusseras, charitatem infundens per Spiritum tuum?

66. *Bonitatem & disciplinam &c.* Infudisti charitatem; sed iterum atque iterum infunde pretiosum hoc donum, in quo veram salutis scientiam inveniam. Hoc firmiter credo; & hoc credere, salutis est initium.

67. *Priusquam humiliarer &c.* O necessariam charitati humilitatem, & necessariam humilitati virgam paternæ disciplinæ. Peccavi, cum non castigasti; à virgâ tuâ salus facta est.

68. *Bonus es tu &c.* Quæ major bonitas, quàm creaturam tam vilem à te Deo nostro amari! Ergo amas nos! doce nos ergo legem amoris tui, ut & ipsi amemus.

69. *Multiplicata est &c.* Superbi non desinunt persequi; nec ego desinam amare. Amor tuus, invicta defensio. Semper vincam, si semper amem.

70. *Coagulatum est &c.* Non amant te, qui aliud amant. Quisquilix mundi, deliciae eorum; deliciae meæ, in amore Dei mei.

71. *Bonum mihi quia &c.* Sed ut amarem te, & currerem in viâ mandatorum tuorum, opus mihi erat stimulo castigantis. O virgam salutarem, quæ docuit me non amare mundum, & amare Deum meum!

72. *Bonum mihi lex oris tui &c.* Jactent alii divitias suas: aurum meum, amor tuus. Te jubente ut amem te, felicior me arbitror quàm si juberet ut in toto orbe regnarem.

73. *Manus tue fecerunt me &c.* Corpus meum & anima mea, opus tuum: sed

adhuc opus tuum, salus mea. Da mihi scientiam amoris tui; & intelligam, quidquid jubeas, hoc te jubere ut amem.

Cetera desiderantur.



ORATIO DOMINICA, DOCUMENTUM AMORIS.

PATER **C**UM adoptio nostra effectus sit amoris æterni; quicumque sunt christiani, filii sunt charitatis; charitate vivunt, charitate adolefcunt, charitate ad hereditatem Patris cœlestis perveniunt; ergo qui Patrem hunc non amant, non sunt filii, cum careant naturâ filiorum.

Qui es in cœlis. Ubi est qui amatur, ibi est qui amat, securè amat; cum ergo quem amare debemus in Cœlis sit, si amor noster in terrâ & in rebus terrenis adhuc hæreat, non verè amamus.

Sanctificetur nomen tuum. Deum amando, quod illi bonum optare potest amor noster, quod non habeat qui bonorum omnium plenitudo est? Cum ergo sanctificari nomen illius petit, sanctum esse lætatur; sed sancta hæc lætitia tantùm amantis est, nec illius capaces sunt qui non amant.

Solâ charitate nomen Dei sanctificatur, quia sola sancta est & sanctos facit, & nisi ex illâ nihil sanctum est.

Adveniat regnum tuum. Regnum Dei, Regnum charitatis; quam sola meretur charitas quam non meremur. Nunquam ergo regnabunt qui non amabunt.

Tam magnum regnum, & tam infinitum datur optanti; sed sola illud optare potest charitas, quod sola impetrare potest, & sola possidere.

Magna immensæ charitatis dignatio, quod teipsum regnum hominis mortalis esse voluisti; sed fortè non minor, quod etiam in tam vili creaturâ regnum tuum constituisti.

Fiat voluntas tua. *Voluntas tua, Domine, sanctificatio nostra est.* Sed cum amore tuo sanctificemur; certè voluntas tua hæc est, quam etiam omnes Scripturæ tuæ loquuntur, ut te amemus.

Vita est in voluntate Dei, sicut mors in voluntate nostrâ est. Qui ergo voluntati Dei non obsequitur, non vult vivere; & qui suam implere vult, eo ipso morti æternæ reddit se obnoxium. Pf. 29.6.

Cum peccatum originis voluntatem nostram voluntati Dei contrariam reddiderit; voluntate nostrâ, nisi gratiâ Spiritus sancti aliquo saltem modo im-

mutetur, voluntatem Dei implere non possumus. Ergo petimus ut amemus, cum petimus ut voluntatem Dei impleamus.

Non amamus Deum nisi obediamus; non illi obedimus, nisi amemus. Obedientia augetur amando, sicut amor augetur obediendo. Ergo vita Christiana nihil aliud est quam *obedientia & dilectio*.

Eccli. 3.
1.

Sicut in Cælo & in terrâ. Magnum nobis exemplar proponitur ad obediendum & amandum: *Fiat voluntas Dei sicut in Cælo & in terrâ.* Erigamus nos ergo supra terram imitatione Cœlestium; & ut jam incipiat cœlestis esse obedientia, incipiat amor esse cœlestis.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Textul. *Petendo Panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo perpetuitate charitatis, & individuitatem à Corpore ejus, à quo separatur qui non amat, à quo verè separari non potest qui verè amat.*

Ut Panis omnibus alimentis commune alimentum est, cum quo alia omnia manducantur: ita aliæ virtutes animam sustentant & nutriunt, si charitati jungantur; sed sine charitate non nutriunt, nec veræ sunt virtutes.

Cum absque charitate muti Deo sumus, charitas panem nostrum à Deo postulat; & ipsa est panis noster quo vivimus, & ipsa est vita nostra & sanitas nostra, sine quâ non tantum infirmi, sed mortui sumus.

Corpus facilius viveret non manducando, quàm anima Deum non diligendo. Ut ergo quotidianus defectus corporis panem quotidianum exigit, ita major animæ & periculosior necessitas quotidiano amore fulcienda est.

Dimitte nobis debita nostra. Homini in Deum peccanti ignosci non posset, nisi Deus amaret hominem. Charitas tua, Domine, in causa est cur veniam speremus; ipsa est quæ postulat ignosci; ipsa est quæ ignoscit.

Si confiteamur, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra; si semper tibi displiceas, & muteris, donec perficiaris. Sed tibi verè non displicebis nisi contrito corde dolendo, nec mutaberis nisi amando. 1. Joani.
1. 9.
S. Aug.

Cum peccavimus, amor noster pœnitens est, aut amor non est.

Qui amat non lædit eum quem amat, aut verè dolet quòd læserit. Charitas non facit peccatum, & operit multitudinem peccatorum. Amor innocens &

poenitens est , etiam in sanctis ; quantò magis in peccatore converso.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nil matre indulgentius, quia nihil amantius. Facile amanti ignoscit , qui ipse amat. Cum ergo non ignoscimus , amari non credimus , aut ipsi non amamus.

Dei veniâ indignus est , qui veniam homini negat ; & à Deo amari non meretur , qui hominem amare non vult, quem Deus amat.

Et ne nos inducas in tentationem. Nil magis timet charitas quam periculum non amandi , & ideò peccandi. Qui ergo peccati occasionem & causas non timet , non amat.

A cupiditate nostrâ, Domine , in tentationem te permittente inducimur ; & à charitate tuâ te volente à tentatione eripimur. Sola est charitas quæ facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere ; sola est quæ vincit , & sine qua semper vincimur.

Sed libera nos à malo. Unaquæque virtus liberat ab unoquoque malo. Charitas sola liberat ab omnibus malis. Cum liberant nos aliæ virtutes , liberamur pugnando : cum charitas liberat , liberamur vincendo.

Amanti unum malum est , non ama-

te & peccare ; à quo non liberamur , nisi amando.



EFFATA CHARITATIS.

VÆ mihi, quia serò amavi te ; & tam ardentè amatus , tam frigidè amavi , si tamen frigidus amor , amor est. Ergo nunc saltem verè amem te , & ardentè amem , & semper amem ; ne desinendo amare & laudare , desinam vivere , quæ sola mors animæ immortalis esse potest.

DESINAM amare quidquid amore tuo amari non potest ; ne amando quod amari non debet , non amem te , qui solus amandus es ut verè & perfectè ameris.

AMEM te , aut moriar ; quia nulla mors magis timenda est quàm amoris , quæ animam occidit immortalem.

NON vivam, Domine, nisi ut amem te ; & nullam vitam amandam esse arbitrer præter vitam amoris , quæ vera vita est hominis & Angelorum.

DA nobis amorem in divitiis timidum , in paupertate securum , in ho-

noribus tristem, & in ignominiâ Crucis exultantem.

AUT amare, aut mori; ut desinam potius vivere quam amare.

PARCE quòd tam diu te non amaverim; parce quòd etiam nunc parum amem; adhuc magis parce, ut magis amem.

SIT amor tuus, Domine, negotium quiescentis & quies laborantis; ut cum vaco ab actione, non vacem ab amore, qui actio æterna est beatorum.

NIHIL amem, Domine, quod obfit amori tuo, & nihil amem ex quo te magis non amem.

AMEMUS te, Domine, ut ploremus coram te; & ploremus, ut adhuc magis amemus.

LAUDET te anima mea, ut amet te; & *s. Aug.* amet te, ut adhuc magis laudet.

AMEM, Domine, ut amem; & magis amem, quia nullâ re magis crescit amor tuus quàm amando.

OMNIUM actionum mearum finis sit amor tuus; amoris vero nullus sit alius *s. Bern.* finis quàm ipse amor; *sit finis ejus, usus ejus.*

s. Aug. NON amas, & deseris quos amas; sic

& ipse amem, ut te non deseram; ut nunquam te deserendo, te semper amem.

OBLIVISCAR omnia quæ creata sunt, ut ea non amem; & te nunquam obliviscar, ut te semper amem.

Moriamur Evangelicam mortem, non s. Aug.
amando nos; *ut vivamus evangelicam vitam, amando te.*

AUFER à nobis, Domine, oculos Ethnicorum, quibus videtur mundus, & amatur; sed da nobis oculos christianos, quibus videris, & amaris.

APERI, Domine, oculos nostros ut videamus quàm non sit amandum quod amamus, & quàm amandum sit quod non amamus aut parùm amamus.

NULLUM sit mihi unquam gaudium tam magno peccatori, nisi à charitate tuâ oriatur, cujus gaudium, gaudium est veritatis.

DA mihi ut omnia me impellant ad amandum, & nihil me avocare possit ab amando. Da mihi quidquid augere potest amorem tuum; & libera me ab omni sive bono sive malo, quod impedire posset ne ardentius amarem.

PLACEAM tibi, Domine, ut amem te; non enim amarem nisi placerem, cum amari non possis, nisi ames.

JUSSISTI ut pugnarem adversùs inimicos tuos , qui solâ charitate vincuntur. Amem ergo ut pugnem , & adhuc magis amem ut vincam.

AN auderet mendicus Regi dicere : Desidero amare te ? Hoc tamen tibi dicere non vereor Regi Regum & Dominatori Dominantium. Sed si indignus sum qui amem , certè dignus es qui ameris & lauderis ab omnibus creaturis.

O COR meum stultissimum ! cur veram mortem diligis, & veram vitam non diligis ; cur amas ad serviendum , & non amas ad regnandum ?

S. Bonav
S. Chry-
sost.

O COR plusquam lapideum ! *O Cor non cor* ! cur in tantâ fornace amoris , quæ propter te accensa est , non accenderis ?

AMEM, Domine , ut des mihi manna absconditum quod mortale est non amanti. Sit mihi quoque verum manna amor tuus , quod abscondam in corde meo , & quod me abscondat mundo.

VINCAM , ut fruam hoc mannâ , quod non edit nisi qui vincit ; sed amem te , ut vincam ; & nihil temporale amem ut te amem.

DA mihi amorem pœnitentem , & pœnitentiam igne amoris tui flagrantem ; ut nec pœnitentia sit inanis , nec amor sterilis.

VÆ mihi! *Quare aliquid in me est quod* S. Bonav. *non sit amor tuus?* Hinc vacuus sum ob aliarum rerum abundantiam, quæ non fatiant cor meum sed distrahunt. Plenus essem, si vacuus essem; quia esurientes imple bonis, & divites dimittis inanes.

ECCE, Domine, circumcingor alimentis, & fame pereor, quia non amo te; quidquid enim verè nutrit, amore nutrit; & ipse amor, est cibus animæ meæ. Nec corpus absque calore naturæ nutritur, nec anima absque calore gratiæ.

O DOCTOR amoris & Deus amor, doce nos amare! sed sic doce, ut discamus te largiente quod doces.

DISCAMUS scientiam charitatis, quæ sola necessaria est, in scholâ humilitatis, in quâ tantùm benè & utiliter discitur.

LATUS tuum, Domine, in cruce apertum, schola est amoris, & Crux ipsa cathedra docentis. Ibi nos doce quantum amandus es, qui cum esses Rex Regum & Judicum Judex, tanta pati amantissimè voluisti, ut infelicissimos servos, faceres in regno tuo felicissimos reges.

DEUS, qui cum dilexisses tuos, in finem dilexisti eos: da similiter diligamus, ne unquam diligere cessemus.

DEUS, qui amasti nos ut te amare pos-

femus; da nobis, sicut creaturis possibile est, tantum amemus quantum amati sumus; ut tantis & tam immensis beneficiis amor noster aliquâ ex parte respondeat: ne non retribuendo juxta quod accepimus, ingrati simus.

DIC animæ meæ, Domine, salus tua ego sum; sed dic amando, dic amanti, ut adhuc magis amet & laudet.

BONA tua, quæ me redderent ingratum, ne dederis mihi, Domine, nisi cum maximo amoris tui dono; cujus beneficio benè utimur omnibus donis tuis, & sine quo cum aliis omnibus donis certissimè periremus.

DA nobis, Domine, virtutes, sed amatrices, quibus tanquam gradibus ad amorem tuum altiùs evehamur. Longè sint à nobis virtutes quæ tibi non placent, & cum quibus tibi placere non possemus.

QUOMODO amarem Deum meum, qui amo corpus meum; cum perversus hic amor amoris illius tantâ contrarietate repugnet? Mortificetur caro, vero & salutari odio, ut vero & salutari amore ametur Deus meus.

*Fodere non valeo, quia infirmus sum;
Luc. 16. mendicare erubesco, quia superbus sum:
3. nihil*

nihil habeo quod pauperibus largiar ,
quia pauper sum; & nescio quid faciam,
nisi Dominus meus infundat amorem
suum , in quo humilitatem , omne ro-
bur , & omnes divitias inveniam.

AMEM veritatem, ut te amem , quia
tu veritas es. Amem justitiam, ut te a-
mem, quia justitia es. Amem sapientiam,
quia sapientia es. Non enim te amat,
qui non amat quod es , & amat quod
non es, fingens idolum in corde suo.

BENEDICTUS es, Domine, qui creando
me, potestatem amandi dedisti, quæ na-
tura hominis est ; & me redimendo de-
disti potestatem amandi te , quæ natura
est Christiani. Frustra jam de paupertate
mea queror , cui tam facile est ditescere.
Non amando res noxias quibus
perirem , jam ditescere incipio ; sed te
verè amando , thesaurum bonorum om-
nium , te ultro invitante & largiente
comparabo.

DILIGAM, Domine, inimicos, ut te di-
ligam. Cur tam amplius reditus ex tam
beatâ possessione perire sino? Orem, ut il-
lorum odium in amorem convertatur.
Beneficiam illis , ut tandem me aman-
do & ipsi te ament. Patiar illos in omni
mansuetudine , ut in patientiâ tuâ , *quæ*
opus perfectum habet , inveniam perfectio- Jac. 1. 4.

nem amoris tui , qui ipsa perfectio est.

OMNES affectus , quos utiliter inseruiſti animæ meæ , non amplius mundo ſed amori tuo inſerviant. Timeam ne te non amem , aut parum amem. Sperem me amaturum , & nihil aliud ſperem. Gaudeam ſpe amoris , & ob amorem. Triftis ſim quia non amo , aut parum amo. Oderim quidquid amori tuo contrarium eſt. Amem amare. Amem amorem ipſum ; & nihil aliud amem , ut perfectè amem.

QUAM ſtulti ſumus , Domine , ſi te non amamus ; cum in amore tuo omnibus morbis noſtris remedium , omnibus tribulationibus noſtris ſolatium , in omni bello adverſus omnes inimicos noſtros præſidium , in omni infirmitate & inconstantia noſtrâ firmamentum inveniamus.

MORIMUR non amando , & amando non morimur. Fortitudo noſtra , felicitas noſtra , amor tuus. Væ nobis ſi in tantâ neceſſitate amandi non amamus.

AMORE tuo vivimus , amore pugnamus & vincimus , amore eſurimus juſtitiam tuam , & amor tuus juſtitia noſtra eſt. Amore fatiabimur , amore regnabimus. Quomodo ergo non amemus , toties amori tuo obnoxii ?

O LEGEM charitatis , illuminantem

oculos ad videndum, moventem memoriam ad recordandum, excitantem voluntatem ad faciendum! O legem necessariam, quæ sufficit ad bene vivendum, & sine quâ nullæ aliæ leges sufficiunt.

Moveat nos amor tuus, quia bonus es; moveat nos timor tuus, quia justus es. Nec amemus absque timore, nec timeamus sine amore; ne aut superbi simus non timendo, aut pusillanimes & mortaliter infirmi non amando.

QUAM verum & certum oraculum: *Omnia mandata tua veritas!* O suave mandatum charitatis! Pl. 118. cujus suavitate, etiam quæ aspera videbantur suavia sunt, quod totam legem implet, quod inveniri debet in omnibus mandatis, quæ verè non implentur, nisi Charitate impleantur.

QUÆRE me, Domine, amando me, ut quæram & inveniam te, amando te. Non quæram nisi jam amem, & non inveniam nisi adhuc ardentius amem.

ELIGE me ut eligam te; non enim eligam nisi electus. Ama me ut amem te; non enim amabo nisi amatus. Sed si eligis, eligam; si amas me, amabo te.

BENEDICTUS sit Dominus, qui animas nostras amando effecit *sponsas amoris;*

qui in mensâ amoris sui cibatur nos pane vitæ & amoris; qui redemit nos, quia amavit, & ut amaremus; qui incredibili amore vocat nos ad regnum amoris æterni. Anathema qui non amat tam amantem.

AMOR tuus, Domine, vera est via veræ felicitatis, & felicitas ipsa cum perfectè amavero.

Matt. 11.
12.

DOMINE, qui dixisti; *Regnum Cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud*: da nobis spiritum humilitatis; ut violentiæ cupiditatis trahentis ad infernum, opponamus violentiam charitatis trahentis ad Cælum.

S. Aug.

DA mihi *amorem non appetentem temporalia, & tibi se integrum incorruptumque servantem, & temperans sum.*

DA mihi *amorem tibi tantum servientem, & proximo quantum potest consulentem, & justus sum.*

DA mihi *amorem omnia propter te Deum meum perferentem, nihilque præter te timentem, & fortis sum.*

DA mihi *amorem bene ea discernentem quibus adjuver ad currendam viam mandatorum tuorum, ab iis quibus impediatur & retardor, & prudens sum.*

Amore petam, amore quaram, amore pulsem, amore credam quæ revelare voluisti;

amore denique in eo quod revelatum est permaneam; ut amore vivam, & vivam in æternum, in æternum amando.

O CHARITAS, quomodo te laudabo, quæ sola Deum laudas?

Tu vera castitas viduarum; tu vera virginitas & vera foecunditas virginum, quæ major est foecunditate conjugatorum.

Tu convivium celebras nuptiarum sponsi & sponsæ: tu convivium ipsum ad quod convivæ invitantur, & vestis nuptialis convivarum.

Per te Deus regnat in cordibus electorum: tu regnum ejus, ad quod vocamur: tu *via regni*, & *causa regnandi*. S. Bern.

Tu fortitudo martyrum. Tu os eorum aperuisti, ut magnificè confiterentur. Tu cor eorum quovis adamante firmius reddidisti, ut adhuc magnificentius paterentur. Cum enim in tam atrocibus suppliciis exultabant, *non hoc faciebat stupor* non sentiendi, sed ardor amandi.

Tu vera sapientia Virginum sapientum. Tu oleum æternum, quod ante thronum Agni ardet in lampadibus earum, quo carere vera stultitia est.

Tu vera scientia Sanctorum, quos & Sanctos fecisti & doctos, *exaltans animam & illuminans oculos*. Tu Pa tres Ec-

clesiæ & Doctores docuisti quod nos docerent. Tu adhuc in eis ardes & luces, & tanto magis luces quanto magis ardes.

S. Ephr. Tu *salus erroris expers*, salus omnium qui salvantur. Tu cœlum aperis, quod omnibus etiam virtutibus, te non eas concomitante, clauderetur.

Te inimici nostri formidant. Ut fugiunt à facie Dei, ita & fugiunt à facie eorum qui amant Deum.

Oppressa crescis, impugnata vincis; quantò profundius deprimeris, tantò altius surgis; quantò plura largiris, tantò magis abundas. In paupertate ditior, in ignobilitate nobilior, in ipsis etiam calumniis illustrior.

Quis gaudium tuum intelligere potest, quod nemo scit nisi qui accipit; nec ipse qui accipit satis intelligit? Etiam dolor tuus, & ipsæ lacrymæ quas fundis, omnibus mundi gaudiis sunt dulciores.

O AMOR DEI MEI, quam longè differs ab amore mundi! Tu quæris bonorum tuorum consortes, quos hic respuit. In solitudine delectaris, ut ille urbium frequentiam. Unde gaudes inde luget; timet quod speras; & nihil magis sperat & cupit, quam quod ipse times & fugis.

Tu sanitas bene valentium, remedium ægrotantium, vita mortuorum quâ ipsi

reviviscunt. Tecum fortes; sine te infirmi. Tecum vivimus; sine te morimur. Tecum regnamus; sine te servitute omnium miserrimâ semper servimus.

Tu sponsam facis, tu pulchram facis; tu ipsa es pulchritudo sponsæ; tu adducis sponsum; tu paras lectum sponso, & ipsa es lectum sponsi, in quo requiescit cum amando delectatur in amantibus.

Judicium justum judicas, te judicando & neminem judicando. Non te falsis divitiis fallit mundus, quia supra mundum assurgis, Deum tuum adorando qui fecit mundum. Non te falsâ pulchritudine mundus decipit, cujus pestilentissimum venenum non ignoras, quia veram pulchritudinem non solum nosti, sed possides, creatori adhærendo.

Omnia tua sunt, quia *non quæris quæ tua sunt*. Non solum gravia peccata, sed ^{1. Cor. 13. 5.} vel leviora times & fugis, quia non tam times ardere quam displicere; gravior *apud te* infernus est non amare, quam ^{S. Chryf.} puniri non amantem.

Tu aperis oculos quos cupiditas claudit, claudis quos illa aperit. Nam felicitate non vides & non sentis quod mundus tantum videt & sentit; sed adhuc feliciùs oculata vides & sentis quod mundus videre & sentire non potest.

Res pœnitendas non facis, & tamen veræ pœnitentiæ origo es. Sine te peccatum vitare non possumus, & sine te pœnitere non possumus, & veris lacrymis peccata lugere. Sola facis innocentes; sola facis pœnitentes, qui sine te non sunt pœnitentes sed irridentes.

S. Ephr. O BEATA charitas quæ beatos facis! quàm beata, cum eos quos mundus infelicissimos arbitrabatur, Dei ipsius iudicio felicissimos reddis; & sine quâ miserrimi sunt quos mundus omni ex parte iudicabat esse beatos.

Tu verbū Dei scribis *in tabulis cordis carnalibus*, quod sine te in tabulis tantum lapideis scriberetur. Tu illud fecundum reddis, quod sine te sterile remaneret. Tu aperis aures quibus utiliter auditur, & manus moves ut impleatur.

Quam potens, quæ res etiam viliores, innatis & naturalibus divitiis pretiosas facis! Sine te vel aurum plumbum est, cum tamen plumbum ipsum in aurum commutes. Sine te nihil Deo placet; tecum omnia illi placent.

Aperi nobis sensum ut intelligamus Scripturas; non quomodo eas intelligit curiositas ad exitium, sed sicut eas intelligit charitas ad salutem.

Domine, non sum dignus amore tuo;

sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea amando, ut adhuc veriùs amet amando humiliùs.

CHARITAS *clamat de profundis*, & invocat; *charitas in excelsis exaudit* invocantem; *charitas salvatur*, *charitas salvat*.

ORATUR à nobis *charitas Deus noster*. Orat pro nobis *charitas in filio dilectionis qui est advocatus noster*. Orat in nobis *charitas Dei, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*.

NE *in irâ operemur superbiam*, quod Prov. 21. tantoperè vetas, 24. in humilitate operemur *charitatem*, quia utraque mansuetudinis fons est.

O. CHARITAS, *virtus virtutum!* tu es gloria sanctorum, & *gloria virtutis eorum*; Pf. 88. 18 quia sine te nec vera gloria est, nec vera sanctitas, nec veræ virtutes.

Tu firmamentum panis, & vini deliciae, & veri olei lætitia. Sine te nec panis confirmat, nec vinum lætificat cor hominis, nec oleum faciem exhilarat. Sine te nec esurimus, nec satiamur.

HÆC sit felicitas nostra, amare, orare, & laudare: nam si non amamus, non vivimus; si non oramus, non diu vivimus; si non laudamus, frustra oramus. Quidquid ergo agamus, sive ad quietem.

sive ad laborem nos voces, hoc agamus; amemus, oremus, laudemus; & nunquam malè agemus.

TOTI intremus in cubiculum nostrum ad quiescendum tecum, charitate intro-mittente nos; teipso nobis aperiente ostium, & claudente persequentibus inimicis. Sed cum exeundum erit te jubente, ut fratribus eâdem charitate ministremus quâ quiescimus, non toti exeamus; sed sic incipiat esse actio in labore charitatis, ut non desinat esse quies in meditatione & desiderio charitatis.

S. Ambr. AMOR tuus, Domine, virga sit, quæ cor meum quâvis petrâ durius sic percutiat, ut ab eo fontis instar *fluam lacrymæ sanatrices; & violentiæ pœnitendi perpetuæ cedat consuetudo peccandi*, ne rursus peccare incipiam si desinerem pœnitere.

O BEATA charitas, quæ nihil frustra speras, quia tantum à Deo speras, & nihil aliud quàm Deum speras. Nihil times quia Deum times, & ideò *tibi vilescit mundus omnis sive promittens sive terrens.*

S. Aug. OPPONAM, Domine, mundo blandienti & falsa gaudia promittenti, verum gaudium charitatis. Opponam mundo sævienti sanctum timorem charitatis. Si cum illâ timeam quod timendum est, facilè contemnam quod mundus timet,

quod timendo perit , quod nos non timendo salvamur.

AMEM te, Domine, ut non moriar , & non moriar ut amem ; quia vita sine amore tuo, mors veriùs est dicenda quàm vita.

MORTUI sunt, Domine, qui non amant, & qui amant te non moriuntur. Da mihi ergo ut nihil magis timeam quàm illam mortem, quæ amorem tuum excludit , & in quâ nemo te amare potest.

QUI in pace tuâ moriuntur amabunt te in æternum , & nihil eos unquam ab amandò impedit aut retardabit. Absit ergo ut illam mortem timeam, quæ servos tuos liberat à periculo non amandi , quod periculorum omnium maximum est verè amanti.

DA nobis, Domine, spiritum charitatis , docentem nos omnem veritatem , & suggerentem nobis omnia quæ dicta sunt nobis ; ut simus docibiles Dei , *eo charitatis & humilitatis affectu suscipientes* S. Greg. Nazian. *Verbum Dei , ut perduci ad te possimus Verbum Deum.*

CUM loqueris nobis, Domine , veritas loquitur. Ut ergo respondeamus tibi , charitas respondeat. Non enim responderi potest veritati , nisi amando , cum ea non loquatur nisi ut amemus.

LEX veritatis sit in ore nostro , lex charitatis in corde nostro , lex humilitatis in ore nostro & in corde nostro , lex Crucis & mortificationis ejus in corpore nostro ; ut dissolvamus opera diaboli & cupiditatis nostræ quibus periremus , implendo legem charitatis quâ salvamur.

O DOCTOR charitatis, ardens charitate, & charitas ipsa! jubes ut quæramus charitatem ; da quod jubes. Charitas tua nunquam deleatur de cordibus nostris ; hanc semper cogitemus , hanc meditemur , hanc retineamus , sive divites, sive inopes ; & ut illius legem impleamus, nihil aliud faciamus.

CHARITAS Christi fecit pauperes Christi; ne enim aliquid esset quod amare possent , nihil habere voluerunt.

CHARITAS etiam cum irascitur, lenis est; & fieri non potest ut lenis non sit qui verè amat. Cum enim omnes affectus omnesque virtutes amori serviant , in bonum etiam eorum qui amantur tendere necesse est.

CHARITAS aut gaudet aut luget. Nam si abest , dolere necesse est , si adest gaudere : si partim adest & partim abest, lacrymas tristitiæ & gaudii fundet.

S. Aug. *Amorem vacantem & non desiderantem*

non invenies. Charitas, si magna sit, semper orat, desiderat semper; licet parva sit, non est sine aliquâ oratione, aut desinet.

CHARITAS hominis, effectus est charitatis Dei; nam si non amaret nos Deus, non illum amaremus. Cum ergo nata sit in sinu misericordiæ & in eo adoleverit, eum qui verè amat misericordem esse necesse est.

UT manus aquâ, ita cor charitate mundatur, & aliter mundari non potest; cum enim sordes contrahat amore temporalium, elui non possunt nisi amore æternorum.

CHARITAS, gluten spirituale animarum, quæ uniri non possunt nisi amando. Cum ergo unitas aut unio natura sit charitatis; quantum in ipsâ est, quæ disjuncta tant conjungit, & conjuncta conservat, quod est pacificum esse: unde pax filia charitatis dici potest.

QUI *addit scientiam* charitatis, addit *Eccli. 18.* scientiam doloris. Hinc Deum perfectè ^{18.} amanti nihil optabilius quàm pati pro Deo. Charitas nostra à Cruce Christi sumpsit originem, ideoque crucem amat; aut si non amat, non est charitas.

O QUAM diversi sunt effectus, Domi-

ne, amoris tui, & nostri. Descendisti propter nos amando nos; & hoc tantum à nobis exigis, ut terrena contemnendo propter te, ascendamus amando te. Exinanivisti te ipsum formam servi accipiens amando nos; nos verò à servitute liberamur amando te. Amor tuus fecit ut morereris; amor noster facit ut vivamus & regnemus.

8. Aug. *Salus nulla est, nisi in societate Dei. Sed cum inter creatorem & creaturam infinita sit distantia, Dei & hominis societas esse non potest, nisi amor Dei jungat hominem Deo.*

1. Petr.
4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*
Da nobis Domine hanc charitatem, peccata præterita delentem efficaciter, adversus præsentia pugnans viriliter, futura caventem sapienter; ut sit ipsa remedium omnium malorum nostrorum, & perpetua origo omnium virtutum nostrarum, ne falsæ sint & mentiantur sibi.

CUM miseri simus nisi te amemus, assiduè rogandus eras ut permitteres te amari; quàm ergo stulti sumus, qui nec jussi te amamus!

MULTA sunt, Domine, quæ amorem nostrum extorquent; sed nihil sic nos cogit ad amandum, quam quod non

tantum permisisti, sed tam severè & tam amanter præcepisti, ut te tam magnum, nos tam viles amaremus.

O BONA mundi falsa & mendacia, quæ neminem faciunt bonum, & tam multos faciunt malos; quorum amore veris bonis & maximo omnium bonorum, amore Dei nostri, privamur! Quis det nobis ut res tam contemnendas non amemus, & res tam amandas non contemnamus, sed ad illas toto corde anhelemus?

VÆ nobis, Domine; cum deliciæ tuæ sint esse cum filiis hominum & nobiscum conversari, heu deliciæ nostræ sunt cum inimico tuo confabulari, silentiū tui quo tecum conversaremur negligentes! Muta, Domine, tam perversas delicias. Timor noster & horror sit vel cum mundo vel de mundo loqui, ne illum audiendo aut videndo amare incipiamus: & deliciæ nostræ sint de te nobiscum loqui, & tecum loqui, ut te amemus. Si enim te non amat qui tecum non conversatur, profecto te non amare non potest qui verè tecum conversari amat.

QUIS amat ut Deus noster, qui servis suis convivium tam magnificentum & tam regium parat, in quo ipse & conviva & convivium, immortalis cibus conviva-

rum, & cibus amoris, quo amans pascit amantes se, ut de morte transeant ad vitam, & non moriantur in æternum.

NON amando & amando perveniam ad amorem. Discam amare Dominum meum non amando quæcunque non amari vis, & amando quodcunque amas.

ETIAM odium, Domine, amori inserviat. Odio mei ipsius & odio mundi emam amorem Domini mei, & emam gratuito; quia & quod odi & quod amo, utrumque donas.

AMEM te, Domine, & sufficit mihi, dummodo amor tuus semper in nobis magis & magis augeatur.

DA nobis, Domine, tantum amorem, ut absolvat nos à peccatis nostris, & amplius non peccemus.

CUM cor nostrum igne amoris nostri ad omne opus bonum non accendatur, da nobis ut saltem fræno timoris tui ab omni opere malo arceatur.

UT bene amem & bene timeam, nec amor sit sine timore, nec timor sine amore.

DOCE me intus, Domine, verba amoris tui, ut nihil obstrepat foris, nihil præter te amando. Loquatur veritas in corde meo, quod magis accendat chari-

tatem, ut non audiam inimicum circa me & intra me mentientem. Trahat me charitas Dei mei, ne mundi vanitas trahat me, si adhuc in mundo commorantem invenerit. Æternitati tuæ firmiùs inhæream ardentius amando, ut cum mundi figurâ transeunte deceptus non transeam.

OPASTOR bone! beneficio tuo ovis tuus sum, miserere miseriarum mearum. Charitas tua dirigat errantem, quia via est. Charitas tua suscitet morientem, quia vita est. Charitas tua sustineat labentem, quia fortitudo est. Charitas tua pascat esurientem, quia verus panis est, quo qui non pascuntur non vivunt.

Quæ causa esse potuit, Domine, ut errantem oviculam iisdem humeris ferres, quibus crucem quâ nos redimeres portaveras, nisi ardentissima charitas quâ nos ab æterno amavisti? Tantam charitatem & tantam patientiam ferentis admirer, & nihil aliud cogitem quam misericorditer in sinu Domini mei portari qui fecit cœlum & terram.

Porta me, Domine, & porta ut amem, ne cadam non amando. Pasce me pane amoris, ne deficiam non amando; tue-re me præsidio amoris tui, ut inimicos qui te non amant vincam amando.

Lateam, Domine, in sinu amoris tuī in quo nemo invenitur ab inimico quærente ut occidat. Adversus mundum pugnem in sinu amantis, in quo nemo vincitur. Vivam securus in sinu amantis, in quo nemo moritur.

SOBRIE vivamus, verum panem amando, quem qui amat, alium amare non potest. **IUSTÈ** vivamus, amando quodcunque amas, & non amando quod non amas. **PIÈ** vivamus, amando te, quia nullus alius cultus Deo amanti magis convenit, quam sacrificium amoris.

Sobriè vivamus, bona mundi non amando. **Iustè** vivamus, proximum propter te amando; & **piè** vivamus, te non propter aliud sed propter te amando, ita ut nostra temperantia, justitia, & pietas in tuâ charitate consistant.

IMPLE cor meum teipso, ut esuriam justitiam tuam, quâ reddam omnibus quod suum est, non amando mundum qui odio habendus est, & amando te qui solus & toto corde amandus es.

NE tantum te diligamus ore & linguâ, da nobis, Domine, ut quidquid diligis diligamus, quia amor tuus regula est veri amoris; nec amandum est quod non amas, & amandum quidquid amas.

BEATITUDO paupertatis, ipsa est beatitudo charitatis; quid enim pauperibus prodesset, nihil esse in mundo quod amarent, si te inde ardentius non amarent?

O *Vita* quæ es lux hominum! O charitas quæ ardes & luces, quâ vivimus & quâ videmus, intra in cor meum, ut intrem in gaudium tuum. Vivam Domine, & videam; vivam ut videam; & videam ut vivam. Quid enim mihi prodesset vivere, & non videre lumen cœli, mox moriturum aut jam mortuum? Vita, inutilis absque luce tuâ, & non est vita. Lux quoque inutilis mortuo aut morienti. Sit procul à me splendor iste tenebrarum, quem cæci admirantur, qui à morte oritur, & in mortem desinit; qui lucem mentitur, & vera est nox. Ista est lux filiorum sæculi qui prudentes in generatione suâ sunt, qui vident ut miserabilius pereant. Tali scientiæ & prudentiæ filiorum hominum abrenunciem. Videam, Domine; sed te tantum videam, per quem video; & videam, ut magis videndo, adhuc magis videam.

DEO tantum debetur amor hominis, à quo creatus est, à quo redemptus est, à quo conservatur ut vivat. Cum sit ergo unus Deus, sit quoque unus amor;

nam si amor multiplex sit, certum est aliquod idolum constitui in corde amantis.

CUM virtutibus caream, in quibus nimium mihi placerem ut superbus; quod tutum est, lugens de me & gaudens de te, libenter sustineam opprobrium vitæ meæ. Placeam mihi in infirmitatibus meis, ut in eis per humilitatem charitas tua, quæ est virtus tua, perficiatur; quæ nobis semper placere debet, cum sit gloria tua & omnis fortitudo nostra, sine quâ non tantum fortes non sumus, sed nihil sumus.

O BEATAM lucem charitatis, quæ præter veram scientiam, veram vitam operatur; & vera hæc vita, ipsa veritas est. O beatam lucem, quæ oculos etiam largitur ad videndum, sine quâ etiam qui vident cæci sunt, & quæ cum adest, cæci vident. O lucem securam Sanctorum ad Patriam tendentium, quæ viam docet in quâ non erratur, & ipsa est via quæ vires suppeditat ad ambulandum, & ipsa est fortitudo ambulantium.

QUIDQUID agamus, à te semper incipiamus, Domine Jesu; nec prius quidquam concipiatur animo, quàm à te nomen & vim salutis acceperit ob finem

charitatis præcogitatum ; ut sit ipsa initium & finis omnium actionum nostrarum , quo si carerent , tibi , cui semper placere debemus , displicerent.

CUM in circumcissione & omnibus vitæ & mortis tuæ mysteriis nihil propter te , sed omnia propter nos feceris , quia amasti nos ; aliquid propter nos & non propter te agere erubescamus ; quæ , præter impietatem , maxima esset stultitia ; cum nihil nobis utile esse possit , quod propter te & amando te non agamus.

O DĒUS admirabilis , innova mirabilia tua super nos in mutatione voluntatum nostrarum ; ut charitate in locum cupiditatis succedente , incipiamus respicere quod diligebamus , dolere unde lætabamur , amplecti quod timebamus , sequi quod fugiebamus , & optare quod contemnebamus.

DA nobis , Domine , gratiâ tuâ erudiente nos , scientiam salutis quæ est scientia charitatis , per quam à mortali ignorantia rerum amandarum & non amandarum liberati , discamus contemnere temporalia , ut æterna amemus sola & desideremus.

AB ulceribus nostris putredinem removet timor Dei , affluentes humores arcet temperantia , malignioribus cau-

terium paupertas adhibet , tumores comprimit humilitas , obedientia curat, sed charitas sanat.

S. Bern. O DEUS qui verus es consiliarius , apud quem est consilium veritatis & vitæ ; da nobis consilium charitatis in electione poenitentiae, quia peccavimus tibi , & in ordinatione vitæ , ne amplius peccemus.

O DEUS fortis, miserere infirmitatis nostræ, quam meritò patimur, quia fortem reliquimus non amando te , & sine te fortes esse voluimus amando nos. Da nobis ergo spiritum charitatis , ut te in nobis fortem experiamur in expugnando impugnantes nos ; & amando te pugnemus & vincamus , sine quo nemo pugnat & nemo vincit.

S. Bern. O PATER futuri sæculi, quod, te nunc præsentem, est præsens ; esto nobis Pater generando nos in vitam charitatis, ut postea resurgamus in vitam immortalitatis, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad vitam mortis.

S. Hier. O *Princeps pacis*, & *poenitentiae* quæ conciliat pacem ; esto nobis Deus charitatis, quæ nisi infunderetur in cordibus nostris, pax nostra quovis bello periculiosior haberetur.

Amos 5. DOMINE, qui dixisti per Prophetam:
16.

Vae desiderantibus diem Domini; diem illum timendum peccatoribus & optandum justis non optem, quia malus sum; sed nec illum averſer & fugiam, quia bonus es; & nihil mihi ſalutarius exiſtmem, quàm judicem meum amare, & me vocanti ad tribunal ſuum ſtatim obtemperare; ut quod deerit innocentix, ſupplere poſſit promptitudo obedientix.

NON dicam, Domine, quod ſervus ille in Evangelio dicebat: *Patientiam* Matt. 18. *habe in me, & omnia reddam tibi.* Tam ma- 26. gnum debitum miſericorditer remittere potes; ſed ego ſolvere non poſſum. Non ſufficit mihi patientia tua, niſi me quoque feceris in aſſiduo pœnitentix labore patientem. Amem te, Domine; & magnum amorem infunde, ut magna ſit pœnitentia; atque ita, te prius omnia largiente, non minus verè quàm humiliter dicere potero: *Omnia reddam tibi.*

DOMINE, qui pro impiis mortuus es, S. Bern. conſideremus quantum feciſti, pro quilibus, & quanto amore. Pro quilibus, ut non ſuperbiamus; quantum, ne deſperemus; & quanto amore, ut non ſufficiat nobis amare niſi ardenter amemus.

NON amem, Domine, quod amo, ut amem quod non amo; & omne pondus amoris mei feratur in fontem amoris,

à quo fluit omnis amor boni, & omnis amor bonus.

NIL pejus amore; nil melius amore. Libera me, Domine, ab amore gloriæ, & ab amore divitiarum. Libera me ab amore omnis voluntatis meæ, & omnium cogitationum mearum. Nec hoc sufficit, nisi me liberares ab amore meo; ut in me solus regnet amor tuus, qui facit ut regnemus.

S. Bern.
S. Aug.

Quomodo non humiliaretur homo, coram humili Deo. Deus humilis factus est; erubescat homo esse superbus. Sed ut humilietur homo & erubescat, amet Deum suum, & tremens adoret humilitatem Dei sui; alioquin, si non amet, etiam coram humili Deo remanebit homo superbus & superbe impudens.

JUBES, Domine, ut amem te; & quod est omni præcepto potentius, ipse amas tam indignos; supplicia æterna minaris, nisi amem te; mortuus es ut amarem; regnum tuum promittis amanti te. Da mihi ergo ut in tantâ necessitate amandi, & toties amoris tuo obnoxius, nunquam sine amore tuo inveniar.

AMO corpus meum, adversarium salutis meæ: amo mundum in quo non est charitas patris; amo sordes & purgamenta mundi, lutoque ipso, & cœno delector,

delector. Quomodo ergo amarem Dominum meum , qui perditè amo inimicos Domini mei? Quomodo in illo delectarer , qui talibus monstris delector? Non amem amplius , Domine , ut te amem.

QUOMODO ais, Domine: *Eripiam eum, & glorificabo eum.* Ps. 99. Non qui eripitur , sed 150 qui eripit glorificandus est. Laudem meretur liberator , non liberatus. Sed mirabiliter hoc dicis ; & hoc ipsum mirabilius facis. Non enim eripis, nisi amando ; non salvas , nisi amantem , aut amaturum. Sed amor tuus gloriâ dignus est, quia tuus est ; & vim hanc sumit , non à nobis qui amamus , sed à te qui amaris. Cum enim infundatur in cordibus nostris per Spiritum tuum , hoc meretur quod mereris.

AMANDO te , liberamur ab omnibus malis ; amando te , implemur omnibus bonis ; amando vincimus , etiam cum vincimur ; amando vivimus , etiam cum morimur ; quia amor tuus victoria nostra & vita nostra est.

NON amem , Domine , quod impedire potest ne te amem ; & amem omnia , quæ quocunque modo amorem tuum augere possunt.

ABSIT ut aliquid oderimus , nisi a-

D

mando ; ipsum etiam odium amoris tuo inferviat , nihil odiendo nisi quod oderis , nihil odiendo nisi quia amamus , & ut magis amemus.

DA mihi tristitiam & gaudium charitatis , sine quibus ita infirma est , ut periculum sit ne in tristitiam & gaudium mundi incidamus , quæ sunt ruina charitatis.

QUIDQUID amare potuero , ex hoc ipso amore te amem. Amem te , amando Ecclesiam quam sic amas. Amem te , amando omnia membra corporis tui , pro quibus mortuus es. Si fleam cum flentibus , aut gaudeam cum gaudentibus , hoc ipsum ex amore tuo oriatur , & amorem tuum augeat.

UNUS Deus , unus Dei cultus ; unus sit amor quo colitur. Pretiosum hoc amoris thymiama , (quod lex vetat) in alios usus non infumatur. Cor hominis , quod tuum est & quo delectaris , aperiat tibi uni , & omni alieno amoris semper claudatur ; ut nihil amem , quod in te , & propter te non amem.

AMOR tuus , Domine , in omnes sensus imperium teneat. Aures claudat fabulis , & mundi sermonibus sibi tam contrariis , *Oculos nostros per res varias*

fornicantes ita reddat christianos , ut nihil ex perspicaciori visu & majori scientiâ requiramus, quàm ut magis amemus.

Hostiæ Christianorum sunt hostiæ fidei, spei & charitatis. Ut occidantur, facit mortificatio charitatis; ut sint viventes, facit vita ipsa charitatis; ut sint sanctæ & beneplacentes, facit ardor charitatis.

S. Hil.

Si beneficiis provocamur ad amandum, quàm magnus debet esse amor, qui tot beneficiis accenditur! Quid retribuemus Domino qui creavit nos, qui cœlum & terram creavit propter nos, qui conservat nos, qui redemit nos, & tam charo pretio redemit? Quid retribuemus pro carne nostrâ quam assumpsit, quam pro nobis crucifixit, & quâ nos nutrit? Quid pro vitâ, pro tot laboribus, pro tot oraculis oris ejus, pro tam divino silentio; quid pro tot miraculis & pro tot sacramentis? Quale oportet esse amoris incendium, in quod, ut latius inflammetur, excisæ totius orbis silvæ injiciuntur?

TE mihi das, Domine; dem me tibi. Mortuus es pro me; saltem vivam tibi. Amasti ab æterno; non patiar ut pars ulla temporis tam brevis effluat, in quâ non amem.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Da Eccle. 1.
2.

D ij

s. Chry-
sost.

nobis , Domine , ut quemadmodum unum hoc necessarium est , amare te : ita & nobis una scientia necessaria esse videatur , scientia amoris tui , quæ nos doceat , & adjuvet ut amemus. *Doctrinam in quâ proficere potes in amore Dei , illam necessario expete.*

DA nobis , Domine , ut nos mundo & insidiantibus hominibus occultantes in sinu humilitatis , cor nostrum sine te perpetuò frigescentis , fornaci charitatis tuæ perpetuò offeramus , ut ex illâ inflammetur.

AUT vivam tibi , aut non vivam ; quia mundo & inimicis tuis vivere , quâvis morte terribilius est amanti te.

COGITATIONES nostræ & desideria nostra de te sint , & ex te sint , & tibi famulentur ; ut cum nihil aliud ad gloriam tuam facere possimus , saltem te cogitemus & desideremus semper , ut semper amemus.

AMEMUS te , Domine , in adversis , quia nobiscum es in tribulatione ; & nulla est te amanti adversitas. Amemus in prosperis , quia consolaris nos ; & tunc solum vera est prosperitas , cum te amamus.

AMEMUS te cum tentamur , quia pro-

bas nos. Amemus cum vincimus, quia licet tua sit victoria, ipse tamen coronas nos. Amemus te, cum vincimur, ne amplius vincamur.

AMEMUS patientiam expectantis nos ad poenitentiam: amemus misericordiam toties parcentis: amemus justitiam castigantis; quia sic veriùs parcit, cum emendat. In iis, vulnerum nostrorum curatio est, si obediamus, si humiles simus; & amemus.

REDEMISTI nos, Domine, quia amasti nos: non redimemur, nisi amemus redimentem.

FUNDAMENTUM charitatis, humilitas: alimentum charitatis naturalius, obedientia: fortitudo & gloria charitatis, patientia; sicut gloria patientiæ, mansuetudo est.

CHARITAS neminem judicat, quia omnes amat; neque ipsa judicatur, quia innocentes facit; aut si reos invenerit, illos absolvit.

CHARITAS habet omnia quæ necessaria sunt ad salutem. In eâ est contemptus temporalium, & desiderium æternorum. Cum enim hîc incipiat intrare in gaudium Domini sui, falsa bona non fastidire non potest, quæ summo & unico

bono adhæret, & gustat quàm suavis est Dominus.

CHARITAS vita est ambulantis & patria perveniens; cùm charitate, quæ hîc imperfecta est, illic acquiratur perfecta charitas & consummata.

ODERIM me, Domine, ut amem te; & amem te, ut oderim me; quia verum sui ipsius odium ex amore tuo est. Timeam me, & amem te; ne malè inverso ordine amem me, & timeam te ut reus iudicem suum.

DEUS æternus, gratum non habet sacrificium in quo aliquid non insit æterni. Sola est charitas quæ ceteras virtutes illi commendat, sine quâ non place-
Lactant. rent; *sola est quæ sacrificat in templo æterno, ut simus æterni.*

SOLA charitas reddit cor hominis fecundum cor Dei, & similem facit creaturam creatori. Qui virgines fatuas nescit, scit cor virginum amantium, quarum omnis scientia est scire Deum suum.

BREVIS distinctio est virginis fatuæ, & sapientis; hæc amat sponsum, illa non amat.

CHARITAS, aliorum virtutes admiratur, & suas nescit & contemnit. Hinc virgines fatuæ faciliè opinantur se sapien-

tes ; sapientes vero facile se credunt fatuas.

SOLA est charitas , quæ verè Deum laudat , quæ verè laudatur , & quæ omnes alias virtutes laudabiles reddit ; sine quâ , nec verè laudantur , nec veræ sunt.

UNAQUÆQUE virtus ferè uniuscujusque hominis commodum spectat , & solitarium relinquit ; charitas verò complectitur & congregat universos , eosque non solùm inter se , sed Deo jungit , ut simul verâ felicitate fruantur.

SI charitatem tollas , quidquid Deo offertur Deo indignum est , nec multùm differt à carne taurorum , aliisque Judæorum sacrificiis. Charitas , sacrificium Christianorum , quod ab unoquoque semper offerri debet.

Charitas facit fortitudinem Christianorum: S. Aug. sed & alias virtutes sola reddit christianas , quæ , sine charitate , ethnicorum magis virtutes sunt quàm Christianorum.

PLACEAM mihi in infirmitatibus 2. Cor. 12. 10. meis , in contumeliis , in necessitatibus , in persecutionibus , in angustiis pro te ; ut mihi non placeam , & non placendo mihi , placeam tibi ; atque ita in me augetur amor tuus.

80 O R A T I O N E S

SUÆ sunt charitati cogitationes , & sua desideria. Qui Deum suum amare existimat , ita ut nec cogitationes , nec desideria cordis ejus in Deum ferantur , aliud amat quàm Deum , nec charitas in eo est.

CUPIDITAS , lumen mortis , & lumen mortuorum in tenebris ambulantium , quod illis lucet ad damnationem : charitas verò , lumen vitæ , & lumen viventium , quo diriguntur ; Deum sequentes , & omnia ad eum , tanquam ad finem unicum referentes.

CHARITAS , scientia salutis , & scientia Christi , quem tantùm sciunt qui amant ; qui etsi alia omnia scirent , nil se aliud scire arbitrarentur , omnem scientiam contemnentes & subjicientes scientiæ Christi.

CHARITAS , lingua Angelorum , & lingua Sanctorum cum Deo loquentium , quam Deus tantùm audit.

DOMINE , non sum dignus aspicere in cœlum ; sed tantùm dic verbum amoris in corde meo , & sanabitur anima mea , quæ sanari non potest , nisi amando.

Job. 16.
9. *Ruga mea & tot infirmitates meæ testimonium dicunt contra me ; nam si te amarem , infirmus non essem : cum veræ*

fortitudinis sit causa amor tuus, aut potius vera fortitudo sit.

SUPERBIA, odium proximi, & amor mundi, regnum diaboli constituunt: in humilitate verò, amore fratrum, & mundi contemptu, regnum Christi. Si ergo in te Christum regnare & non diabolum cupis, nihil odio habeas præter mundum, nil ames præter Christum & membra Christi.

Non aperte hortatur diabolus ut non amemus Deum, sed ut amemus mundum, & non amemus proximum; cum sciat Deum amari non posse ab eo qui mundum amat, aut fratres non amat.

Homo, diabolo impudentior, qui doceret non esse amandum Deum. Hanc tam manifestam impietatem hortari per se non auderet diabolus. Non enim suggerit, Ne adores Deum, sed tantùm, Adora me & mundum; cum impia hæc adoratio veram Dei adorationem excludat.

DA mihi, Domine, timorem amantem, & amorem timentem. Quomodo enim non timeret, aut quid aliud timeret qui te amat, quàm ne tibi displiceat, & semper non amet, aut minùs amet?

NE sim ingratus, Domine, te amem;

D v

& te amem , ut non sim ingratus de tot beneficiis tuis , nec impœnitens de tot peccatis meis. Solus est enim amor tuus , qui gratos facit ac pœnitentes , & pœnitentes non ingratos.

AMEM te , Domine , ut te eligam ; & eligam te , ut te amem. Non enim amant te , qui aliud eligunt ; nec te eligunt , qui aliud amant.

NON amant te , Domine , aut parùm amant , qui se iis rebus privari molestè ferunt , quarum absentia amor tuus augetur.

NON amant te , Domine , qui in earum rerum possessione lætantur , quas , non amando , amore indignas fecisti ; & quæ amor tuo ita contrariæ sunt , ut rarum sit te amari cum possidentur.

UT ceræ , forma sigilli sigillo exprimitur , & nisi per illud imprimi non potest ; ita amor Christi per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris , & nisi per illum diffundi non posset.

Amor tuus , Domine , emitur , sed amando ; amore pervenitur ad amorem ; & amoris ipsius initium , ipse est amor ; non quidem noster , quia non amabamus antequam amaremus ; sed tuus , quia amasti nos , ut te amaremus

NON amando quæ amore nostro indigna sunt, magis amamus quæ amanda sunt. Cum ergo charitas tua, Domine, animæ vita sit, sanitas & robur: quàm facilè est benè valere, cum ad hoc sufficiat non amare morbum quo perimus! Et tamen ita miseri sumus, ut illum amemus.

ORIGO amoris, crux tua, Domine, quæ nos amore tuo dignos fecit. Quomodo ergo te amabunt, qui crucem tuam non amant? Quàm timendum ne inimici crucis, sint quoque inimici amoris!

VIS amare, ne ames? Non amando mundum, amas Deum; & amando Deum, non amas mundum.

AMEM te, Domine, & veritatem amem, ut verè amem. Amem te, Domine, tam ardentè, & tam humiliter amem, ut perseveranter amem; & tunc incipiam perfectè diligere cùm desinam vivere.

CHARITAS sola esurit vitam, sola manducat vitam, sola reficitur & vivit ex vitâ; cùm omnes qui non amant, moriendo vivant, & veriùs mortui sint quàm vivant.

QUANTA vis est, Domine, amoris tui, qui ardentiores flammæ inferni posset extinguere; nam si in inferno amari

posset , jam non esset infernus.

QUANTA est hominis insania, hominum amorem tam inutilem , & sæpè tam noxium tam avidè requirentis , & amorem tuum tam utilem & tam necessarium, quem ultrò offers, tam pertinaciter contemnentis , aut saltem tam miserè negligentis.

CHRISTUS in omnibus quæcunque fecit aut passus est propter nos, amavit nos. Illum ergo in omnibus quoque amemus. Amemus quem scimus venturum in claritate potentiæ : amemus quem scimus venisse in humilitate patientiæ : amemus æqualem Patri : amemus subditum matri ; amemus sive patientem sive regnantem , dùm semper amemus.

CUM post mortem , reprobi in apertâ luce veritatis illos damnantis versabuntur , confundentur ab omnibus peccatis suis. Nil tamen magis eos confundet quàm quod , cum beati esse potuissent , veram beatitudinem amando , non amaverint unde regnarent , & amaverint unde perirent.

NEC amor sine gaudio , nec gaudium sine amore ; sed qualis amor , tale est gaudium. Cupiditas non novit gaudere nisi de seculo ; charitas Christi non novit gaudere nisi de Christo.

CUM fervire Deo regnare fit, verè illi non fervit qui non gaudet. Si enim non gaudet, non amat; fi non amat, non illi fervit cui verè tantùm ferviunt qui verè diligunt; *Non enim colitur nifi amando, & vera ejus fervitus charitas est.* S. Aug.

SIVE in conspectu Dei introeundum fit, in oratione quiescendo, gaudendum est; sive illi in externo opere serviendum fit, gaudendum est. Ergo semper amandum est, cum semper gaudere nos oporteat, quod sine amore fieri non potest. *Servite Domino in latitiâ, introite in conspectu ejus in exultatione.* Pf. 99.

POSTULATUR TOTIUS HOMINIS
per amorem Dei renovatio
& consecratio.

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum. Colof. 3 .9.

E CCE, Domine, nihil est in me ex meipso, quod non militet adversum te; sed adjuva me, ut vincas in me inimicos tuos; & te vincente, ipse vincam. Ne me decipiat amplius spiritus erroris & mendacii, sit intelligentia mea per Christum Filium tuum illuminata. Ne torrente cupiditatum mearum rapiar amplius extra viam mandatorum tuorum, sit voluntas mea per spiritum tuum emundata. Ne inficiar putredine

carnis meæ , sanetur ipsâ mortificatione crucis Filii tui. Ne peream , abrenuntiem spiritui meo ; & adhærendo tibi sim unus spiritus , nihil præter te amando , nihil præter te cogitando.

Etiam , Domine , pereat omnis cogitatio mentis meæ , quæ prohibet ne cogitem de te , & amem te. Pereat omnis amor , qui non oritur ab amore tuo , & in amorem tuum non desinit. Pereat omnis tristitia & omne gaudium , cum omnibus affectibus cordis mei qui amorî tuo non inserviunt. Pereat caro mea , quæ superfluâ sui curâ revocat me ab amore Domini mei. Pereat somnus , quo natura carere potest , in quo tantum est damnum amoris tui , quantum est damnum temporis , quod totum amorî tuo consecrari debet , ne otiosè effluat. Pereat mundus , quem nullo modo amare possum , quin minùs amem Dominum meum.

Pereant negotia , quæcunque necessitas charitatis non imperat , quæ obsunt unico negotio amoris tui , quod unicè necessarium est.

Pereant humana colloquia , in quibus tibi , Domine , muti , & mundo loquaces , verbis oris nostri vûneramur , qui silentio tuo linguam amoris docente sanari debuissimus.

Peream ipse, si non amo te; sed amem te, ne peream; & non peream, ut cognoscam te in æternum, amem, adorem, admirer & laudem. Amen.

AMEM te, Domine, quia creasti me; amem, quia cœlum & terram creasti propter me; amem, quia creasti me propter te.

Amem te, Domine, ut faciam fructus dignos pœnitentiæ; & faciam fructus dignos pœnitentiæ, ut magis adhuc amem te.

Amem te, Domine, ut non regnet peccatum in meo mortali corpore; & in eo non regnet, ut amem te.

Amem te, Domine, ut obediam tibi & omni humanæ creaturæ propter te, cum oportuerit, & sicut oportuerit; & obediam, ut adhuc magis amem te.

Amem te, Domine, ut faciam quidquid me facere volueris, & nulli desim officio sive pietatis, sive fraternæ charitatis; & hoc faciam, ut adhuc magis amem te.

Amem te, ut corde magno & animo volenti patiar quidquid pati me volueris; & illud, quodcumque erit, patiar, ut adhuc magis amem te.

Amem te, Domine, ut cognoscam te; & cognoscam te, ut adhuc magis amem te.

Amem te, Domine, multum, ut multum orem; & ardentem orem, ut adhuc ardentius amem.

Amem te, Domine, ut gratias tibi agam idoneas, & laudem te; & laudem te, ut adhuc magis amem te.

Amem te, Domine, ut mihi & mundo moriar, abnegans meipsum; & abnegem me, mihi & mundo mortuus, ut adhuc magis amem te.

Amem te, Domine, ut taceam mundo foris, & mihi intrus; & taceam, ut adhuc magis amem te. Amem te, Domine, ut solus cum solo converfer, amans solitudinis tuæ; & illam amem, ut adhuc magis te amem. Amem te, Domine, ut loquar de te, te jubente; & de te loquar, ut adhuc magis amem te, & magis ameris.

Amem te, Domine, ut sive edam, sive jejunem, sive vigilem, sive dormiam, sive laborem, sive quiescam, omnia faciam in nomine tuo; & sic omnia faciam, ut magis amem te.

Amem te, Domine, ut sis Alpha & Omega, principium & finis omnium operum meorum: & omnia ad te referantur, ut adhuc magis amem te. Amem te, Domine tam humiliter, ut amare non desinam; & hinc non desinam amare ut amem te in æternum. Amen, fiat, fiat.

Diliges proximum sicut teipsum.

Matth. 5. 43.

DA nobis, Domine, ut simus prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, servantes charitatem fraternitatis in vinculo pacis, in omni humilitate & patientiâ, & mansuetudine, & gaudio & modestiâ, in timore & tremore paventes ad sanctuarium tuum, & templum Domini sanctum; ut non judicemus amplius invicem, nec ponamus fratri offendiculum vel scandalum, invicem provocantes, invicem invidentes; sed unusquisque placeat proximo suo ad ædificationem, per charitatem spiritus fervientes, & subjecti invicem in timore Christi, & omni humanæ creaturæ propter Deum; non æstimantes nos esse aliquid, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, & honore prævenientes, invicem humilitatem insinuant. Alter alterius lavemus pedes & onera portemus; invicem benigni & misericordes, donantes invicem sicut Deus in Christo donavit nobis, & orantes pro invicem ut salvemur, per omnia corpore & animo mori pro fratribus parati.

Particeps sim omnium timentium te, & custodientium mandata tua; ut sit jucunda decoraque laudatio. In admira-

tione etiam vivamus ex imitatione; & si gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra. Simus gratias agentes Deo per Jesum Christum pro omnibus, sine intermissione memoriam fratrum facientes semper in orationibus nostris. Si patitur unum membrum, compatiantur omnia membra, & sollicita sint pro invicem. Simus considerantes nosmetipsos, ne & ipsi tentemur, quoniam in eadem damnatione sumus; peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus. Da gemere, tolerare, sperare, orare.

DEUS, qui in veteri Testamento Rationale, in quo nomina filiorum Israël ad perpetuam recordationem descripta erant, arcto vinculo à Superhumerali dependere voluisti, ut doceres nos, patientiam sine charitate conservari non posse; auge in nobis charitatem fraternam, ut alter alterius onera portemus; quia deficiemus in portando, si deficiamus in amando; cum eadem sit perseverantia patientiæ, & amoris.

Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Joan. 15. 11.

DOMINE Jesu, cujus præceptum est, ut diligamus invicem, sicut ipse dilexisti nos: da nobis ut procul ab

omni odio, si eandem aliis charitatem exhibere non possumus, quam nobis exhibuisti, illos saltem tantum diligere optemus, quantum nos à te diligi exoptamus.

Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros. Matth. 5. 44.

AMICI tui, Domine, diligunt mala mundi, & ea falsis bonis anteponunt; sed cum essem imbecillior, nec id possem quod illi potuerunt, providisti mihi auxilium inimicorum meorum, qui ad felicitatem invitum cogerent, & quorum raperet iniquitas, quod relinquere non audebat infirmitas. Amen ergo, Domine, benefactores, involuntarios quidem, sed tamen benefactores. Non tantum causas, sed occasiones etiam externas, & ipsa etiam instrumenta magnæ & inopinatæ cujusdam felicitatis, quamvis non sentientia, in pretio habere solemus. Amemus, Domine, coronam vitæ quam nobis offers, ut verè eos amemus qui illam nobis, nos persequendo, conciliant.

Utar auxilio inimici infirmioris, ad resistendum potentiori inimico. Quantum in me erit, benefaciam homini, illum amando non amantem, ut vincam diabolum persequentem.

Dimittite, & dimittimini. Luc. 6.37.

O AMANTISSIMAM legem, & plenam misericordiæ! O plenitudinem charitatis! Ecce mihi decem millia talentorum debenti, dimittis omnia, si dimittam ipse debenti denarium. O infelices, quibus nihil debetur, cum tantum ipsi debeant! O mihi felices inimicos, quibus cum parco, mihi parcis! O me beatum, Domine, si donum tuum intelligam, cui tanto suo labore, otianti, tantum thesaurum inimici suis ipsi humeris advehunt, sub immenso onere expirantes! Tantæ patris optimi charitati gratias agam; tantæ inimicorum miseræ ex animo condoleam, pro his orans; in tantâ meâ felicitate humiliter exultem.

Vide Orationes Iussisti p. 46. Diligam p. 40.



DE INCARNATIONE,
VITA, ET PASSIONE
HOMININI NOSTRI JESU CHRISTI:

Ad postulandum à Deo fructum
Incarnationis.

*apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus
hominibus, erudiens nos, &c. Tit. 2. 11.*

DOMINE Deus, qui de Filii tui vi- Fere tota
ex sancto
August.
tâ & morte remedium exhibuisti,
unde sanaremur à cunctis infirmitatibus
nostris; da nobis ut illud sentiamus effi-
cax ad salutem; nec moriamur jam, pro
quibus mori dignatus est Filius tuus.
Quæ superbia sanari potest, si humili-
tate Filii tui non sanatur? Quæ avari-
tia sanari potest, si paupertate Filii tui
non sanatur? Quæ iracundia sanari po-
test, si patientiâ Filii tui non sanatur?
Quæ impietas sanari potest, si charitate
Filii tui non sanatur? Quæ timiditas
sanari potest, si resurrectione corporis
Filii tui non sanatur?

Erigat spem suam Genus humanum,
& recognoscat naturam suam, & videat
quantum locum habeat in operibus tuis.
Non se contemnant viri; Filius tuus

Dimittite, & dimittimini. Luc. 6.37.

O AMANTISSIMAM legem, & plenam misericordiæ! O plenitudinem charitatis! Ecce mihi decem millia talentorum debenti, dimittis omnia, si dimittam ipse debenti denarium. O infelices, quibus nihil debetur, cum tantum ipsi debeant! O mihi felices inimicos, quibus cum parco, mihi parcis! O me beatum, Domine, si donum tuum intelligam, cui tanto suo labore, otianti, tantum thesaurum inimici suis ipsi humeris advehunt, sub immenso onere expirantes! Tantæ patris optimi charitati gratias agam; tantæ inimicorum miseræ ex animo condoleam, pro illis orans; in tantâ meâ felicitate humiliter exultem.

Vide Orationes Iussisti p. 46. Diligam p. 40.



DE INCARNATIONE,
VITA, ET PASSIONE
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Ad postulandum à Deo fructum
Incarnationis.

*Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus
hominibus, erudiens nos, &c. Tit. 2. 11.*

DOMINE Deus, qui de Filii tui vi- Fere tota
ex sancto
August.
tâ & morte remedium exhibuisti,
unde sanaremur à cunctis infirmitatibus
nostris; da nobis ut illud sentiamus effi-
cax ad salutem; nec moriamur jam, pro
quibus mori dignatus est Filius tuus.
Quæ superbia sanari potest, si humili-
tate Filii tui non sanatur? Quæ avari-
tia sanari potest, si paupertate Filii tui
non sanatur? Quæ iracundia sanari po-
test, si patientiâ Filii tui non sanatur?
Quæ impietas sanari potest, si charitate
Filii tui non sanatur? Quæ timiditas
sanari potest, si resurrectione corporis
Filii tui non sanatur?

Erigat spem suam Genus humanum,
& recognoscat naturam suam, & videat
quantum locum habeat in operibus tuis.
Non se contemnant viri; Filius tuus

virum suscepit. Non se contemnant feminæ; Filius tuus natus ex feminâ est. Sed potissimum gloriantur in te virgines, quia Filius tuus ex virgine natus est, & virgo est, & virginum sponsus. Neutri tamen amemus carnalia, quia in Filio tuo neque masculus, neque femina sumus. Aufer à nobis, Domine, amorem temporalium; quia si benè amarentur, amasset ea homo quem suscepit Filius tuus. Non timeamus contumelias, crucem & mortem; quia si nocerent homini, non ea passus fuisset homo quem suscepit Filius tuus.

Verbum tuum caro factum, sit medicina carnis nostræ, ut per illud desinat esse carnalis. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perditâ reparantem, & omnia depravata corrigentem! Quis de se desperet, pro quo tam humilis esse voluit Filius tuus? Quis beatam vitam esse arbitretur, in iis quæ contemnenda esse docuit Filius tuus? Quis adversitatibus cedat, qui naturam hominis à tantis persecutionibus custoditam credit in Filio tuo? Quis sibi clausum esse regnum cœlorum putet, qui cognoscit publicanos & meretrices secu-

tos esse & imitatos Filium tuum? Quâ perversitate non careat, qui facta & dicta intuetur & diligit & sectatur illius hominis, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius tuus? Nil nobis jam deest habentibus Filium tuum, si nihil nobis deesse arbitremur; sed væ hunc habenti, & aliud quærenti, si tamen illum verè habet, qui aliud quærit.

Absit à nobis, Domine, tam cæca ingratitude. Nihil aliud quàm Christiani simus. Gloria nostra sit amplecti humilitatem Filii tui; divitiæ nostræ, amare paupertatem Filii tui; victoria nostra, imitari patientiam Filii tui; omnis denique fortitudo nostra & spes nostra sit charitas Christi. Contemnamus quod contempsit. Pati non formidemus quod passus est. Fugiamus quod fugit. Diligamus sicut dilexit. Non aliam habeamus silendi legem & loquendi, quàm silentium & sermonem Filii tui. Omnia faciamus secundùm exemplar quod nobis monstratum est in vitâ & morte Filii tui. Illum cogitare, scientia nostra sit; illum amare, virtus; illi placere, nobis non placendo, sapientia & felicitas. Hoc unum speremus quod promittit. Hoc unum timeamus quod minatur. Inde tantùm gaudeamus, quia dilexit nos vel cùm non diligeremus. Inde

tantum contristemur, quia parum diligimus, quem satis diligere non possumus. Hoc tantum optemus, ut illum sine fine diligamus, qui tecum vivit, &c.

DEUS, qui Filium tuum incarnari voluisti, ut Medicum omnipotentem haberemus, qui morbis insanabilibus mederetur: da mihi verba quibus illi aperiam morbum meum, quibus impetrem sanitatem, & gratias agam indefinenter sananti me, qui tecum &c.

SOLILOQUIUM IN ADORATIONEM MAGORUM.

Adoraverunt eum; & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11.

ADOREM te, Domine. Sed quia tibi displicet vacuus adorator, da mihi prius quod tibi dare possim. Quo plura dederò, plura certe debeo, adhuc magis gratiæ tuæ obnoxius: nihil enim magis tibi debetur, quàm quod tibi datur. Si nihil mihi servaverim, sed omnia tibi dederò & meipsum, tunc tibi omnia debuero. Da ergo quod dem. Sed si donum tuum, quod à te accipiam, mihi servaturus

servaturus sum , nihil mihi des ; nam minus adhuc damnum videtur pauperem esse quam ingratum. Non tantum ergo da quod dare possim , sed etiam ipsam dandi voluntatem impertire , cum quâ pauper tibi dives est.

Adoraturus te cum Magis , offeram tibi quod obtulerunt , ut placeat tibi adorator , cujus dona jam placuerint. Aurum quod vile fuisset , sit mihi pretiosum , cum illud dedero Domino meo. Quæcunque suppetere potuerint de falsis bonis , dem tibi omnia , ut vera sint ; & nihil in eis sit meum amplius , ut mea sint. Da mihi devotionem cordis Thus tibi oblaturus , & incensum perpetuum desideriorum ardentium , quo sacrificant qui te amant. Ut verò oblatio perfecta sit , nihil amittam myrrhæ quæ nunquam deest filiis Adam ; sed quidquid patiendum erit , id omne patiar *amore amoris tui.*

S. Aug.

Etiam , Domine , placeat mihi quod sine te non placeret , ut tibi placeam. Sileant sensus cruci tuæ contrarii. Illam adorando , illam amem , quam si non amo , non adoro ; nulla enim sine vero amore vera adoratio esse potest. Dic mihi intus , illud mihi bonum esse quo redemptus sum , & quo gratus esse possum redimenti me. Domine , nihil tub-

traham myrrhæ, ut nihil subtrahas thuris. Quod naturæ amarum videtur, & malum fortè maximum, id fides pronuntiet, quia bonum est; & *charitas ex corde puro* clamet, suave est. Non vincat natura fallax, Domine, adorantem te; *Pf. 4. 7.* Sed potiùs *lumen vultus tui* sensuum mendacium arguat; doceatque nos, nihil nobis accidere posse felicius, quàm ut pro te moriamur, qui mortuus es pro nobis, ut per te viveremus, qui vivis & regnas &c.

D E A C T I O N I B U S & Conversatione Christi super terram.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Joan. 1. 14.

Baruch. 3. 38. **D**OMINE Jesu, qui in terris visus & cum hominibus conversatus, esurire, sitire, edere & bibere, dormire & vigilare, laborare, fatigari ex itinere & quiescere, caloris & frigoris molestiam, paupertatis angustias & incommoda omnia, exilium & fugam, hominum maledicta, laudes, calumnias & persecutiones sustinere voluisti, ut te semper, in quocunque rerum statu, in simili actione versatum ante oculos habentes, inde exemplum, & vim omnem sancti-

tatis fumeremus ; da nobis , ut ad tam divinum exemplar respicientes , omnes vitæ labores & incommoda omnia , non solùm patienter , sed etiam reverenter patiamur , quòd eadem nostrâ causâ pati dignatus sis ; istas pietatis & charitatis tuæ velut reliquias adorandas , semper in corpore nostro circumferentes ; qui vivis , &c.

SOLILOQUIUM

IN AGONIAM CHRISTI IN HORTO.

Factus est sudor ejus , sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Luc. 22. 44.

O HORTUM doloris, ex quo resurgimus , quàm dissimilis es horto voluptatis , in quo cum Adam cecidimus universi ! O olivæ, non oleo lætitiæ, sed amaritudinis redundantes ! O sudorem sanguinis prænuntium mortis , qui mortem inferre potuisset , nisi in cruce mori voluisses ! Sed quod differendum erat , te volente , ut abundantiori remedio faneremur , ecce nunc patiendi desiderio anticipatur. Ante tempus mortis, morti aditum præbuiisti ; ut omnem ejus amaritudinem , & quidquid acerbi habere poterat, cor agni immortale experiretur. Ipsam mortis agoniam à morte sejunxi-

sti, suavis nobis & durus tibi amator; ut servi tui faciliùs morerentur. Quidquid fellis habuit, in horto & in cruce consumptum est, ne mortem timere-
mus, quæ cor ipsum ingressa tam mortaliter sudantis, & in corpus impiè graf-
fata in cruce morientis, jam mitior facta est morituris. Antequam te in monte Calvariæ inimici crucifigerent, in horto amor tuus te crucifixit. Cessant manus carnificum, cessat crudelitas Judæorum; sed charitas tua non cessat. A nullo jam pateris, & tam acerbè pateris, quia jam ardentè amas. Sanguis quem Judæi fundere debent, hîc solâ charitate funditur.

Tristitia tua à teipso imperata est, ut dolore tuo consolaretur nos. Non ipsa se ingessit, sed vocanti & amanti nos obsecuta est. Inviti tristes sumus, tu volens tristis es; & tanta hæc infirmitas ex eadem potestate oritur, quâ mortuos ad vitam revocabas. Væ nobis, qui in quantum possumus, pro Domino nihil patimur, cum Dominus ipse pro servis, quantum fieri potuit, tantum pati voluerit. Omnipotentiam tuam, non minùs in restauratione mundi quàm in creatione tibi inservientem, novorum dolorum architectricem effecisti, ut tanto amorì nihil deesset ad patiendum;

quia amans , & pro amatoris patiebaris ,
qui nunquam amarent , nisi patereris.

Quamvis hortus hic , Domine , sit
hortus doloris , bonum est tamen nos
hic esse ; nimirum hortus tristitiæ tuæ ,
factus est nobis hortus gaudii , in quo
lacrymas amoris funderemus. Nec in
hoc horto fons deest , sed fons sanguinis ,
quo irrigatur universa terra viventium ;
nunc verò fontem illius sanguinis in fon-
tem amoris & lacrymarum convertisti.
Certè si tantus dolor compensari posset ,
sudor sanguinis nullâ aliâ ratione aptiùs
compensari posset quàm lacrymis chari-
tatis. Lignum vitæ , quod peccando amisi-
mus , in horto jam & in monte quærendum
est ; nec aliunde abundantius aut feliciùs
virginum sapientiorum lampades oleo
implebuntur , quàm ex horto Olivarum.

Sit nobis hic hortus , quietis locus ad
orandum , & turris fortitudinis ad resi-
stendum inimicis. Si quid nos pati oporteat ,
collectis in horto infirmitatis &
charitatis tuæ viribus , hinc ad patien-
dum fortiores exeamus. Hortus Oli-
varum , qui in passione capitis prior est
monte Calvariæ , sit prior etiam in pas-
sione membrorum. Inveniamus te in
horto patri tuo dicentem : *Non quod ego* Marc.
volo , sed quod tu ; fiat voluntas tua ; 14. 36.
ne cum
jam in morte patiendum erit , infirmio-

res inveniamur, & amittamus te.

Sed qui te in hoc horto invenire vult, in quo tristis fuisti usque ad mortem, nunquam gaudio mundi gaudeat, nunquam tristitiâ mundi contristetur. Sit nobis tristitia hæc tua, origo tristitiæ salutaris & gaudii sancti; cum ideo tristis esse volueris ad mortem, ut contristaremur & gauderemus ad vitam. Gaudium membrorum tuorum, tanto capitis dolore & tantâ acerbitate tristitiæ comparatum est. Mœroris nostri & gaudii nostri infamiam, quam ex horto creationis contraxeramus, in horto redemptionis intra immensum beatissimæ tristitiæ Oceanum extinxisti. Ne igitur erga tristitiam tuam ingrati simus, omnem tristitiam & omne gaudium respuamus quod à spiritu tuo non proficiatur. Amen.

S O L I L O Q U I U M DE JESU PORTANTE CRUCEM.

Cant. 5. *Quæsi Dilectum meum, & inveni eum portantem crucem suam.*

QUOMODO inveniri posses absque cruce, cujus etiam beneficium est quod quæreris? Benedictus sis, Domine, quod te ita quæsierim, & ita inveni, ut certò sciam te non aliâ ratione

esse quærendum. Si sponsa, quietis amantior quamvis sanctæ, non te quærivisset in lectulo, sed in hoc monte benedictionis, non dubito quin invenisset. Omnis sponsa, quæ oculis fidei portantem te crucem intuebitur, non cogitabit de lectulo, nec deliciis licet castis inhærebit; sed doloris tui meditatione fortior, ad patiendum se accinget, crucem portatura post Jesum. O amator crucis, quâ redemisti nos, & quâ vivimus! Qui crucem invenit, te invenit; & qui bene te invenit, inveniet crucem, quæ si absit, aut non inveniris, aut frustra inveniris. Quid mihi prodesset invenisse Dominum meum portantem crucem suam, si sterili meditatione contenta starem spectatrix otiosa. Nihil hoc spectaculo utilius, si non tantum spectaculum sit, sed in rem transeat; & postquam te crucem portantem viderimus, & ipsi tecum eam portemus.

O ingratum, & luce ipsâ indignum, qui cum innocentem agnum portantem crucem viderit, peccatis nostris tam gravem, novum ipse pondus adjiciat ponderi infinito, quasi vellemus sub onere expirare, penè Judæis crudeliores hominem quærentibus qui illi auxiliaretur. Certum est enim crucem Christi Christo graviolem fuisse, quòd multos Christia-

nos videret crucem nec portaturos , nec amatuos. Fortè in causâ sum cur succumbat sub onere , cum sæpè res tam leves impatienter fero , aut nec fero quidem. Cum enim exonerari volo , illum imprudens & miserè onero. Omnis crux quam ferre nolui , nova illi crux fuit. Oneratum jam peccatis meis , adhuc onero impatientiâ meâ ; & segnitie crudeli , quietem diligo Dei ipsius homicidam. Væ nobis , qui ingratham quietem cruci Dei præferimus , qui ideo crucifixus est , ut à laboribus nostris post vitam gloriosè & æternùm requiesceremus.

Sed & si crucem aliquando non abjiciam , queror tamen de cruce , quod valde simile est abjicienti. Qui de cruce queritur , quam cum gratiarum actione portare debuerat , non amat crucem ; & qui non amat , non diu feret. Nimirum crux ista quam charitas ipsa Christi humeris nostris imposuit , eâdem charitate portanda est , aut non erit crux Christi. O me miserum , qui etiam cum non queror , consolationes tamen ambio nocituras , & cruci tuæ contrarias ! O me stultum , qui non intelligam , crucem ferenti quæ omnium electorum consolatio est , consolationem deesse non posse , si aliam non quærat.

Non sic Dominus meus , non sic. Pia-

rum mulierum lacrymas , quibus alioquin delectatur , ideo respuit , quia ut magis consolaretur nos , omnem consolationem respuebat. Non lacrymas, Domine , recusasti , sed lacrymas consolatrices ; ut disceremus non esse acquiescendum consolationibus humanis , nec quærendos qui nobis compatiantur sub crucis onere laborantibus , sed qui tecum patiantur , & crucem nobiscum ferant ; ut simul magnificemus te , *cantantes in viis Domini , quoniam magna est gloria Domini.* Ps. 137.

Nam revera via crucis , via tua est. Via crucis , via coeli ; ut gaudendum sit, cum in hac viâ regiâ , & viâ regum qui tecum regnaturi sunt gradimur , crucem ferentes , quæ crucis tuæ , non dicam imperfecta quædam imago est , sed nec umbra est. Crux tua, omnium hominum peccatis & criminibus , collectâque in unum tam multiplici amaritudine oceanum quemdam amaritudinis repræsentantibus , amara fuit , & acerbitatis infinitæ : at crucem nostram, sanguis tuus quo imbuta est , nobis ita levem reddidit , ut sæpè gaudium ipsum sanguinis , crucis dolorem superare videatur.

Crux tua , licet nobis fons benedictionis, maledictum tamen erat pendenti, ut scriptum est: *Maledictus qui pendet in ligno.* Deuter. 21. 23.

Nec tantùm illa doloribus horrida fuit, sed etiam irrita est; quia non minùs magnitudine opprobrii quàm doloris fatiari voluisti. At crux nostra, te jam exaltato super reges terræ, nobis gloriosa est; & verè sapienti nihil majus aut honorificentius, quàm aliquid pati pro Deo suo. **C**ruce tua exhaustæ vires tuas ob pondus infinitum, cùm cruce quæ nobis imponis vires augeant portantium. Faten- dum est enim: vana excusatio cruce non portantis, hominis infirmitas. Non enim ideo cruce non portat, quia infirmus; sed ille veriùs infirmus est, quia cruce non portat. Hoc onus crucis tuæ quo erigimur, nobis instar pennarum est, quæ si detrahantur, non dicam minùs onusti, sed magis infirmi sumus, nec ad pugnandum nec ad volandum idonei.

Negari hoc non potest: quidquid in cruce acerbius, & minus tolerabile videbatur, tibi ipse sumpsisti; & nobis nihil ferè præter nomen & gaudium crucis relictum est. Non ergo mirum si cruce quam amor tuus & peccata nostra gravissimam effecerant, vires portantis exhaustæ. O Domine, sub tuâ cruce succumbis, ne sub nostrâ succumberemus. Fortitudinem tuam, & fortitudinem Dei amanter abscondis: & cùm fortis

ut gigas totum portas orbem terrarum , infirmus videri vis , ut doceres nos nunquam securiorem esse fortitudinem vincantium , quàm cum sub specie infirmitatis occultatur. O magnum infirmitatis tuæ mysterium, quod Judæi nesciunt, & mali Christiani!

Nonne & hoc innuebas, crucem tuam nisi à duobus ferri non posse? Væ crucem non ferenti; sed væ etiam si solus ferat. Crucem, Domine, quam ferri jubes, nobiscum fers. Nos cum Cyrenæo eligimur crucem portare post Jesum. Nisi prior ferres, non ferremus; auxilium tuum quocunque labore nostro prius est. Antecedis nos, ut subsequamur. O nunquam mutandum ordinem, & infirmitati nostræ necessarium! Crucem non ferre desperatio est pereuntis; priorem ferre, & ante Jesum, superbia est præfumentis: crucem verò portare post Jesum, salus & vita ferentis. Etiam, Domine, nec sine cruce sumus, nec sine te eam feramus, nec in ferendo primas nobis partes tribuere audeamus, ne deferamur ingrati, & deserti pereamus.

SIMPLICITAS

inter patiendum.

Ego quasi agnus mansuetus, &c. Jer. 11. 19,

DOMINE Jesu, de quo scriptum fuerat: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & non aperiet os suum; & qui ipse dixisti de servo tuo Joanne, quoniam fecerunt in eo quacunque voluerunt; fac nos imitari sanctam illam simplicitatem; ut quasi agni mansueti portemur ad victimam; nec cognoscamus, cum cogitabuntur super nos consilia: omnem sollicitudinem nostram projicientes in te, non retrorsum abeuntes, sed nec contradicentes, nec aperientes os, nec omnino curantes quid de nobis fiat, quoniam tibi cura est de nobis, qui cum Patre &c.*

Isai. 53.
7.Matt. 17.
12.

CONSIDERATIO

Christi patientis.

Attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus. Thren. 1. 12.

DA mihi, Domine Jesu, ut non sentiam quodcumque pati possim, sentiendo quod pateris; nec sim ex iis qui passioni tuæ ingrati, suam tantum aspiciunt, & ideo deficiunt. Sit ergo vita mea pendens ante oculos meos, & credam vitæ meæ ut vivam, & non cre-

dam mihi ne moriar. Offeram vitam meam auctori vitæ meæ ; ne eam mihi vindicando, amittam. Aspiciam te, Domine, salutare manus extendentem in ligno vitæ meæ, & vivam. Aspiciam te qui in Serpente æneo figurabaris, & sanabis me à vulneribus serpentis ; quia de teipso fecisti nobis remedium, quod potentius est omnibus morbis. Qui vivis & regnas &c.

Virum dolorum, & scientem infirmitatem.

Isaiæ 53. 3.

D O M I N E Jesu, quem Propheta tuus dixit scientem infirmitatem ; sciam virtutem infirmitatis tuæ, quæ magnum & efficacissimum est remedium infirmitatis nostræ. Sciam paupertatem & miseriam infirmitatis meæ, ut humilis sim. Sciam divitias & felicitatem infirmitatis tuæ, ut fortis sim. Non contentus sim scientiâ infirmitatis meæ, ne desperem ; nec contentus sim scientiâ infirmitatis tuæ, ne nimis confidam, & superbus sim ; sed sciam infirmitatem meam ut me oderim ; & tuam, ut te amem, qui vivis & regnas, &c.



SOLILOQUIUM.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc 23. 46.

Cant. 3.
 4. **I**NVENI quem diligit anima mea; inveni eum in cruce, in manus Patris commendantem spiritum suum, & morientem.

Etiam, Domine, benedictus sis, non tantum quod te invenerim, sed quia in cruce invenerim, sine qua non inveniris. Fallitur, Domine, qui invenisse te putat, non inveniendo crucem; non enim te, sed seipsum invenit. Nec servus tuus Martinus absque cruce te inveniri posse existimabat, cum inimicum in Dominum lucis transfiguratum ideo respuit, quia gemmis non spinis coronabatur, nec crucem ferebat cui inimicus est.

Da mihi, Domine, amorem crucis tuæ. Amem crucem, ut amem crucifixum; & semper meminerim Dominum meum qui in cruce invenitur, amitti statim ab iis qui fugiunt crucem. Quem inveni in cruce, is absque cruce servari non potest: eadem sit mihi ratio conservandi thesaurum hunc, quæ fuit inveniendi. Cum aliquid patiar, securus sim, quia Dominus meus non aufert à me crucem suam.

Cùm omnia arridebunt , & mundus fa-
vebit qui te non amat , in tanto periculo
perterritus exclamem , ut me non dese-
ras ; quod enim Christiano majus peri-
culum esse potest , quàm absque cruce
inveniri , cujus solâ vi tuetur se ab om-
nibus inimicis , & cujus vitâ non mori-
tur.

CruX tua , salus mea est ; non sim ini-
micus crucis tuæ , ne sim inimicus salu-
tis meæ ; non sim inimicus crucis tuæ ,
ut manducem carnem tuam , & sangui-
nem tuum bibam quem cruci tuæ debe-
mus. Caro tua , Domine , non sapit cui
cruX tua non sapit ; & non est verus ama-
tor convivii tui , qui crucem tuam non
amat. Crucifixus verò amore crucifixi ,
quid aptius agere possum aut utilius ,
quàm ut in manus tuas commendem
spiritum meum ? Orationem rejicere
non potes , quam crux tua commendat.
Sponsæ crucifixi de cruce clamantes ,
semper audiuntur à crucifixo ; cùm nihil
aliud quæerunt quàm salutem. Benefi-
cium crucis in cruce ipsâ postulantibus
nunquam negas , qui ideo crucifixus es,
ut illam consequerentur. Non expectem
tempus mortis , ut in manus tuas com-
mendem spiritum meum. Tempus vitæ
aptius est ad meditationem mortis meæ ;
nec commodiùs adversùs illam armari.

possum , quàm in cruce quæ mortem superavit , & cui omnem vim ademit in æternùm.

IN LATUS APERTUM.

DOMINE Jesu , cujus cor post mortem apertum est , ut in eo magnitudinem amoris tui , & necessitatem amandi te clariùs videremus ; cor nostrum eadem charitate quâ tuum vulnerari voluisti , vulnerare digneris ad vitam ut tibi vivat , ne sibi vivendo vulneretur ad mortem.

DEUS , qui inimicorum scelus in beneficium nostrum convertisti , ut in cor Filii tui quod crudelissimè aperuerunt , sponsæ tuæ suavissimè intrarent ; ne cor nostrum sit dissimile cordi illius , vulnera illud , sed vulnere charitatis , quod nos occidat mundo , & vivere faciat Christo Domino nostro , qui &c.

Vide Latus tuum p. 47.

IN MYSTERIUM SEPULTURÆ.

AUFER à me , Domine , omnem amorem mundi , ut abscondar mundo , fugiens mundum ; nec videam , nec videar ; nec de illo loquar , nec de me loquatur. Consepultus tecum , cùm

tu apparueris , non antea , sed tunc tantum appaream tecum in gloriâ , qui es gloria omnium te amantium , qui cum Patre &c.

AMBULEM tecum , Domine , ut amplius non appaream ; nihil audiens foris , ut intus te audiam. Non appaream hominibus, absconditus in sepulchro Domini mei , ut appaream tibi , providens te in conspectu meo semper , & in conspectu tuo stans amando , adorando & obediendo.

TECUM moriar , Domine , ut tecum sepeliar , nec manus , nec pedes movens extra sepulchrum veræ mortificationis : ut nihil audiens , & nihil videns amplius quod mundi sit , tantum audiam quid loquatur in me Dominus meus ; & gustando videam quàm suavis est , & quoniam in æternum misericordia ejus.

DEUS, qui nos non solum mori mundo, sed ad securitatem Evangelicæ hujus mortis, tecum etiam sepeliri voluisti ; da nobis virtutes vivificæ huic sepulturæ necessarias ; ut pro nihilo habentibus spoliari & contemni , nullâ sensus curiositate , nullâ manus & pedes cupi-

ditate moveantur ; ne ante apparere stultè velimus, quàm ipse appareas in gloriâ, cujus nos participes secundùm magnalia misericordiæ tuæ efficiemur.

Qui percussus aspexerit eum, vivet.

Num. 21. 8.

DEUS, qui mortis tuæ spectaculo sanari nos voluisti ; da nobis ut dolores tam acerbos quos pateris amoris dolore compatientis sentiendò, dolores tam leves quos ipsi patimur, non sentiamus.

DEUS, qui per tot vulnera tam patentem januam mortis tuæ, vitæ nostræ januam adhuc patentiore[m] Ecclesiæ tuæ largitus es, da nobis ut per hunc dolorem morientis, intremus in gaudium regnantis.

DEUS, qui mortem & vulnera Filii tui medici nostri, vitam & sanitatem nostram esse voluisti ; da ut remedium quod ad moriendum, & sanandum nos sumpsit medicus, id ad vivendum & laudandum sumere non dubitet ægrotus.

OCULOS vagos & errabundos fige, Domine, in hoc vitæ spectaculo ; Christum tuum & nostrum, & crucem

Christi semper cogitemus. Cetera nec
nata computemus; *Ut creatura vilescat*, S. Aug.
& *creator in corde dulcescat.*

AD POSTULANDUM
amorem Crucis.

*Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini
nostri Jesu Christi. Gal. 6. 14.*

DA mihi, Domine, ut non tantum
amem veritatem, sed crucem;
frustra enim illam amo, si hanc non
amo. Inter tot veritatis inimicos, non
diu certè illam amabo, crucem averfatus:
impatentiâ enim & odio crucis facilè
vincetur amor veritatis. Fac me ergo a-
mare crucem Filii tui; non qualem etiam
diligunt qui crucis inimici sunt, sed
qualem colunt qui amici sunt.

Amem crucem, non amando me:
amem crucem, ferendo crucem. Nam
quicumque sit cultus, illam non amo,
si non fero: & qui non ferunt, inimici
sunt. Crucem Filii tui feram; sed sem-
per feram, & totam feram; nihilque de-
sit felici mensuræ felicitatis nostræ. Sit
profundum humilitatis, Deo tantum
teste gaudentis; sit sublimitas spei auxi-
lium de coelo expectantis; sit latitudo
charitatis omnia amplectentis.

Quidquid est transituræ infamiæ,

hoc profundo crucis tuæ absorbeatur : quidquid est poenarum , amoris magnitudine in latitudine crucis tuæ mulceatur. Crux nuda non horreat angustias paupertatis. Crux profunda non terreatur opprobriis. Crux lata non vincatur doloribus & ærumnis. Crux longa non deficiat in diuturnitate passionis. Talem crucem amem ; talem feram.

Da mihi crucem Jesu portare post Jesum. Si non feram crucem , pereo ; si solus feram , deficio : si feram ante Jesum , superbus sum , & vincor ; si feram post Jesum , humilis sum , & salvor. Non ergo mihi est salus, nisi dones crucem portare post Jesum, per spiritum Jesu , qui tecum vivit &c.

GLORIA nostra , opprobrium nostrum ; à qua ut nos liberares , faturatus es opprobriis , quæ in gloriam nostram cesserunt. Cur ergo gloriamur , nisi in cruce tuâ , quæ falsam gloriam evertit , & veræ gloriæ origo est.

Vide Qui addit p. 61.



LUX MENTIS ET PURITAS
cogitationum, ex amore Crucis.

Non judicavi me scire aliquid nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. 2.

O VERBUM, gratiâ & misericordiâ caro factum, miserere verbi mei, quod peccato & miseriâ caro factum est. Verbum meum, cogitatio mea. En cùm debuisset adhærere æternitati tuæ & esse tecum unus spiritus, adhærendo vanitati rerum transeuntium, voluptate inquinatum est, curiositate dissipatum est, elatione conquassatum est.

O Verbum sanctum, affige cruci verbum malum, propter quod hominem assumpsisti qui crucifigeretur. Tantùm amet crucem tuam, ut mundum sit. Tantùm sciat crucem tuam, ut unum sit. Tantùm gloriatur in cruce tuâ, ut humile ac sanum sit.

Erigit verbum jacens ad altitudinem tuam humilitatis altricem, charitas. Jungat sibi verbum tenebrosum ad sanctæ lucis delectationem, veritas. Firmet verbum inquietum ad securam stabilitatem, humilitas; ô Domine Jesu, Deus & Homo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas &c.

Erit vita tua quasi pendens ante te . . . & non credes vita tua. Deuter. 28. 66.

DOMINE , lux & vita animæ meæ , qui pendere ante oculos nostros voluisti in argumentum scientiæ & spectaculum amoris , ut nihil aliud sciremus & nihil aliud amaremus : fac nos memores tanti beneficii , ne Judæos imitemur qui vitæ suæ non crediderunt. Credam vitæ meæ , Domine , quæ mentiri non potest , quia veritas est. Sperem in vitam meam , quæ omnia potest , quia charitas est. Amem vitam meam , quæ victrix mortis est , & redemit me.

Averte oculos meos ne videant vanitatem , ut videant veritatem. Inclina cor meum in testimonia tua , ne diligam mortem , ut diligam vitam. Quidquid aliud videro , mendacium est quo decipior. Quidquid aliud amavero , poena est quâ morior. Ne decipiar , fit vita mea ante oculos meos : ne moriar , fit vita mea in corde meo ; ut te uno contentum , nec mendacio deceptum , nec amore alieno morientem , beatum me reddat & securum amor scientiæ & scientia amoris : Qui vivis &c.

ANTE IMAGINEM CHRISTI
crucifixi.

ASPICIAMUS in autorem fidei & con-^{Heb. 12.}
summatorem Jesum, nihil postulan-^{2.}
tes, nihil dicentes, sed audientes : *Hæc*
à te passus sum. Hæc pro te passus sum. Hæc
docui. Hæc promisi.

AD POSTULANDAM
Humilitatem.

Discite à me quia mitis sum & humilis
corde. Matth. 11. 29.

DOMINE Jesu, qui non venisti mi-
nistrari, sed ministrare; qui non ve-
nisti facere voluntatem tuam, sed vo-
luntatem Patris tui; qui non venisti ju-
dicare, sed judicari; qui non quæxivisti
gloriam tuam, sed gloriam Patris tui;
qui non tibi placuisti: da nobis, ut vo-
cati ad nuptias tuas recumbamus in no-
vissimo loco, non alta sapientes, sed
humilibus consentientes; non quæren-
tes quæ nostra sunt, non nos amantes,
non nos defendentes, non nobis placentes.
Da mihi horrere gloriam meam,
voluntatem meam, cogitationes meas,
fermones meos, & actiones meas. *Hor-* S. Bern?
ream quidquid de meo est, ut sim meus, cum
fuero tuus.

DEUS factus humilis, ut hominem superbum quæreret: utque is Deum humilem erubescens, desineret esse superbus: fac me humilem ut quæram te, & fac me adhuc humiliorem ut inveniam te, qui cum Patre &c.

SUPERBIA mea erubescat humilitatem præsepis tui, & infantia tua. Stulta sapientia mea erubescat sapientem stultitiam crucis tuae. Vita mea tam otiosa & delicata erubescat vitam tuam tam laboriosam. Denique erubescam tibi non vivere, cum pro me mortuus sis.

DEUS, qui corda fidelium tantum implens spiritu tuo quantum suo deplentur: fac nos humiles, ut te amemus; amemus te, ut humiles simus, atque ita abnegantes nos, non amplius de nobis miseri, de te beati simus.

DEUS, apud quem abominatio est quod hominibus altum est; da nobis ut non simus alta sapientes, sed humilibus consentientes; nec magna parvi, sed parva humiles cum magno amore faciamus. Per Christum D. N.

s. Aug. **P**ATER æterne, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus sæculi, & revelasti ea parvulis; fac me fieri parvulum, ut grandescat anima mea, & capiatur

piat magnum, & impleatur magno, nesciendo se & sciendo te, odiendo se & amando te.

C O N F E S S I O H O M I N I S
miseriam suam, & omnipotentem
Dei misericordiam agnoscentis.

Homo peccator sum, Domine. Luc. 5. 8.

C O N F I T E O R tibi, Domine, quia benè omnia fecisti; nos autem omnia malè, quia dereliquimus te, & gratis venundati sumus pessimo inimico, à quo in corpore mortis hujus captivi tenemur ad ejus voluntatem, nobis ipsis inimici.

Confiteor tibi, Domine, quia nisi reliquisses nobis semen gratiæ tuæ, non vidissemus lumen cœli, cæci à nativitate; & descendissemus usque ad fundamentum lacu sicut plumbum in aquis vehementibus.

Confiteor tibi, Domine, quia ad salutem & regnum, unum nobis est necessarium, amare te: & quia hoc non potest fieri viribus nostris, nec nobis debetur, miserere nostri.

Confiteor tibi, quia quidquid mali non feci, & quidquid mali non passus sum, beneficium est misericordiæ tuæ, non meritum innocentiae meæ.

Confiteor tibi, quia nullum bonum est ita parvum aut facile, quod facere possim, te non adjuvante; & nullum malum est sive magnum, sive parvum, à quo non possim vinci, te non defendente: nihil tam difficile quod tecum non possim: nihil tam facile quod sine te possim.

Confiteor tibi, quia quidquid unquam mali ab homine aliquo factum est, à me fieri potuisset, si, te deferente, & occasione invitante, vehemens tentatio ingruisset.

Domine, nihil sum, sed tu es qui es. Nihil possum, sed tu omnia potes. Non sum dignus salvari, sed tu dignus es salvare vel indignum. Domine, potes me mundare, & id potes tam in paucis quàm in multis, quia in nihilo salvos nos facis.

Benedictus sis, Domine, quod sine te nihil possum; ut quidquid possum, ex te sit, & Patri tuo placeat, cui nihil placere potest quod tuum non sit, cui nihil displicere potest quod tuum sit.

Noverim, Domine, quia nihil sum, nihil possum, nihil scio, nihil mereor; & eam mihi largire humilitatem, quæ homini congruat nihil valenti, nihil scienti, nihil merenti, & qui sine te nihil est.

Noverim, Domine, quia solus es

omnia, potes omnia, scis omnia, & mereris omnia, etiam ex se nihil merentibus. Hoc cognoscam; & exultent omnia ossa mea in salutari meo.

Nihil à me sperem, ut omnia à te sperem; & ex radice veræ desperationis, veræ & perfectæ spei fructus oriatur.

Quàm malus sum, Domine, & quàm bonus es! Ecce si me deferas, ipsæ virtutes & dona tua augment iniquitatem & miserias superbi & ingrati; sed cum misereris & adjuvas, peccata ipsa transeunt in argumentum virtutis.

Domine, omnis plaga in corde meo; & ipsum non est mecum. A plantâ pedis usque ad verticem, non est in me sanitas; & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ: veruntamen dic tantum verbum, & sanabitur anima mea.

Agnoscamus quod ex nobis fumus, ut timeamus, & oremus: agnoscamus quod ex te fumus, ut speremus, & gratias agamus.

Nunquam obliviscamur miseriam nostram; ne nos amemus, & semper miseri simus. Nunquam obliviscamur misericordiam tuam, ut te amemus, & beati simus. De nostris humiliter confundamur, ut de tuis magnificè gloriemur.

Fac me recordari, Domine, quid sim ipse, & quid tu sis; ut confitendo tibi iniquitates meas, non amplius injustus sim; & confitendo misericordias tuas, nec miser sim nec ingratus.

Da mihi, Domine, magnam fidem magnæ miseræ meæ, & magnæ misericordiæ tuæ; quia etsi utraque tam manifesta sit ut ignorari nequeat, ferè tamen ignoratur, & nisi ab humilibus, satis credi non potest.

Fac, Domine, cognoscamus magnitudinem desolationis nostræ, ut magnitudinem consolationis tuæ agnoscere possimus; nec similes simus hominibus sæculi, qui negotiis & flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, misericordiam non agnoscunt. Sed potius, non intermittatur sensus miseræ, ut semper animo nostro obversetur magnitudo misericordiæ & charitatis tuæ, quæ nos semper alliciat & provocet ad amandum. Domine, quid est homo, nisi summa miseria cum non amat te, & summa felicitas cum te amat sicut amandum est?

Vide Adhæsit p. 27. Cum virtutibus p. 68. Quomodo p. 72. Da nobis p. 76.



PRO OBTINENDA PACE
in tribulationibus.

In pace in idipsum dormiam & requiescam.
Psal. 4. 9.

QUIESCAT in te, Deus meus, cor meum: cor meum enim est mare magnum tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis & mari, & facta est tranquillitas magna: veni, & ingredere super fluctus cordis mei, ut tranquilla & serena fiant omnia mea; quatenus te unicum bonum meum amplectar, sine cogitationum tumultuantium cæcâ caligine. Confugiat, Domine, mens mea sub umbrâ alarum tuarum, ab æstibus cogitationum hujus sæculi; ubi in tui refrigerii temperamento absconsa, lætabunda cantet & dicat; *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Dormiat, obsecro, Domine Deus meus, memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat, justitiam diligit. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quàm inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines, divinæ veritatis dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare; illicque teneri mente, ubi vera sunt gaudia.

Concede, misericors Deus, ut hæc cuncta mala quæ nos circumstant, nun-

quam perveniant ad animam nostram. Tu, qui claudis & nemo aperit, ita cordis nostri occlude ostium, ut illud, nec injuriarum, nec inimicorum, nec mundi quantumlibet sævientis, ulla unquam cogitatio perturbet, & si fieri potest, ne subeat quidem. Fac, Domine, ut nullum aliud negotium sit in tribulatione quæ nos apprehendit, nullum aliud studium, quàm recedere ab eo strepitu qui foris est, & ire in interiora mentis secretiora, ut ibi te invocemus ubi nemo hominum videt: ibi nos videas gementes, & ibi te sentiamus subvenientem.

Sed tu ipse intra in secretum cordis nostri, ut ibi te solum adoremus & amemus benignissimum Patrem, qui filios percutis ut fanes, corripis ut emendes, mortificas ut resuscites. Illumina, Domine, oculos nostros, ut agnoscamus quàm salutaria sint hæc tua flagella, quæ si non respuimus, cælorum nobis præparant hereditatem. Da nobis, hæc non libenter modò, verùm & ardenter, tanquam ornamenta & delicias amplecti; ut leve hoc & momentaneum tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operetur in nobis.

Fac, Domine, ut dum qui oderunt me insurgunt in me, te invocem intus in corde meo. Fac cum fervo tuo hanc

magnam misericordiam, ut nunquam eos à quibus quid patior oderim; sed in his tentationibus ad te confugiam fontem dilectionis; ut ex te, inimicos, quò crudeliùs persequuntur, eò misericordiùs amplectar. Si cùm patior illos, dilectio in me non conturbetur quâ diligo illos; odisse possunt, lædere non possunt. Si cùm his qui oderunt pacem sum pacificus: si diligam ex toto corde homines apertè sævientes, victus recedet à me diabolus occultè sæviens; si cedo illis qui insidiantur famæ, bonis, & vitæ meæ, vinco illum qui deprædari vult innocentiam, fidem, & salutem meam.

Domine Deus, protector animæ meæ, & spes mea in sæculum sæculi; *Si con-* Ps. 26.3.
*sistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, quoniam tu mecum es; si maledicunt mihi totâ die inimici mei, gaudebo & exultabo, quia tu mihi benedices in æternum. Sævire in me homines possunt, terrere non possunt. Securus sum inter illos odientes & malignantes; mihi quippe dictum est: *Nolite ti-* Matt. 10.
mere eos qui occidunt corpus, animam autem ^{28.}
non possunt occidere. Extrema igitur mala minari desinant; nam sagittæ parvulorum factæ sunt omnes plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.*

Quid enim ? divitias eripient ? non repugno , quia non egeo : nihil enim deest timentibus te , Domine. Crucem parabunt ? non fugio : in hoc enim positus sum ut eam tollam , & in eâ glorier. Mortem si ostentant , non metuo ; sed cupio dissolvi , & esse cum Christo. Utinam cito faciant quod facturi sunt ! Utinam cito in me moriatur quidquid mortale est , ut totus consequar immortalitatem ! Forsitan edent carnes meas ? misereor , non mei , sed ipsorum ; se solùm lædunt , & inde ego perficiar ; consumptis enim carnibus , spiritus ero. Denique , si tribulatio & angustia veniunt super me ; si in terrâ locus non est ubi caput reclinem ; terras relinquam , confugiam ad te , Domine ; & tu eris merces mea magna nimis in cœlo.

Beatus vir qui suffert tentationem, &c.

Jac. 1. 12.

OMNE gaudium existimem , Domine , cùm in tentationes varias inciderim. Sit mihi omnis adversitas , & quidquid naturæ molestum est nundinarum loco , prudenter negotianti ; ut exultans propter judicia tua , cum gratiarum actione , ditescere incipiam ; non verò ea impatienter aut cum murmuratione ferendo , adhuc pauperior fiam.

Displiceam mihi in omnibus quæ placent mundo , ut *placeam mihi in infirmitatibus , in contumeliis , in necessitatibus , in persecutionibus & in angustiis pro Christo , quæ tibi placent , & quarum beneficio tibi placemus.* 2. Cor. 12. 10.

Quem diligit Deus castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit. Heb. 12. 6.

TENTAT diabolus, & noxias cogitationes suggerit in perniciem animæ meæ, quia malus est. Tu, Domine, punis superbum, & tam pio Patri non obsequentem, quia bonus es. Patiar volens, & laudans flagellum Patris, & vim omnem amittet flagellum inimici quod patior invitus.

Etiam, Domine; admone nos salutaribus poenis, ne amemus mundum; sed paterna solatia misce doloribus filiorum, ne deficiamus in mundo. Necessaria utraque medicina: nam & corripiedi sumus ut peccatores, & consolatione indigemus ut infirmi.

Corripe me, Domine; verumtamen in iudicio & non in furore tuo. Jerem. 2. 24.

MISERICORS Deus & sapiens, qui à tuis quandoque recedis ut salves: scio ad correptionem meam pertinere, quòd minùs abs te adjuver, ut perfectè

130 O R A T I O N E S
dirigantur gressus mei. Sed hoc mecum
noli sic agere , tanquam in furore quo
iniquos damnare statuisti ; sed tanquam
in iudicio, quo doces tuos non superbire.

*Diligentibus Deum omnia cooperantur in
bonum. Rom. 8. 28.*

DOMINE, cui non minùs tempesta-
tes serviunt quàm sudum & tran-
quillitas ; res corpori adversas fac prof-
peras animæ meæ. Calamitatibus ipsis,
& malis temporum momentaneis utar
ad salutem æternam ; & sicut prosperi-
tas etiam spiritualis occidit stultum spi-
ritualem, ita adversitas etiam spiritualis,
efficiendo me humilem , sapientem effi-
ciat & spiritualem.

*Iustus es, Domine, & omnia iudicia tua
iusta sunt. Tob. 3. 2.*

DA nobis, Domine, ut qui illicita
injustè fecimus, à licitis justè absti-
s. Aug. neamus ; & quia fatendum est *mala nos
perpetrasse prohibita, patienter illata sustinea-
mus.*

Deus adiutor noster in æternum. Ps. 61. 9.

Ps. 21.
DE ventre matris meæ, in quo periissem
fine te, *Deus meus es tu*, arcens
mortem ab ipsis vitæ incunabulis. *Ne
discesseris à me, Domine, quoniam tribulatio*

proxima est, & non est qui adjuvet adversus tot inimicos solum & infirmum, & vel sine ullo inimico, nisi subveneris, pereuntem.

Da nobis auxilium de tribulatione adversus falsas & periculosas consolationes mundi. Da nobis auxilium de morte, adversus tot pericula vitæ & mortis. Memoria mortis destruat vim ejus, & illi stimulum adimat, qui morientibus nunquam postea victuris, vulnus mortis infligeret sempiternum.

PT. 59.

13.

Vide Memor fui p. 34. Mediâ nocte. p. 36.

CONTRA MORTIS METUM.

Mibi vivere Christus est, & mori lucrum.
Philipp. 1. 21.

DEUS, qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devictâ morte reserasti, vince in servo tuo metum mortis. Quotidie moriar cum Apostolo tuo, ut semel mori non reformidem: neque enim satis moritur, qui timet mori. Non sim ex iis, Domine, qui delectantur periculis suis; & cum se mortem fugere putant, fugiunt vitam. Fallimus nos; sed non te fallimus, qui nosti corda omnium. Vitam æternam multum amare non possumus, cum mortem temporalem multum averfamur;

quia nisi per istam non pervenitur ad illam. Vitam meam, Deus meus & vita mea, junxisti morti meæ, ut calcarem mortem spe vitæ. Quid est enim tantilla mors, quæ victa est sanguine Filii tui, ut propter illam se jungi patiar à tanto bono? Timeam potius vitam meam, sive præteritam, sive adhuc futuram, quia tota timenda est timentis te & diligenti te. Timeam præteritam vitam; est enim unde multum displiceat tibi, quia peccator sum; timeam futuram, ne displiceat, quia infirmus sum. Inter tot timores positum, consoletur me spes mortis; quia peccato finem imponit, licet nata sit per peccatum. Mortem non fecisti, Domine; & tamen ipsa amoris tuo erga nos servire coacta est, cum origini suæ contraria, & emendat quod peccavimus, & præstat ne peccemus.

Pœnam nostram in præmium convertisti, misericors Deus; & de malo nostro fecisti unde sanaremur, nec amplius ægro-
raremus. Gratias tibi, Deus meus. Confirma hoc quod operatus es in nobis. Intelligamus misericordiam tuam, & lætemur. Rectè jussisti ne timeremus eos qui occidunt corpus, ut non ipsi occideremus animas nostras. Etiam, Domine; fiat mihi secundum verbum tuum. Absolvat me ab hoc metu amor Christi.

Cupiam dissolvi , & esse cum Christo. Quarumvis minarum , rerumque omnium , facilis contemptus , mortem non contemnti tantum , sed optanti. Da mihi contemptum hunc , qui valdè necessarius est crucem Filii tui portaturis. Inter tot scandala quæ crebrescunt , nemo potest tutus incedere qui timet mortem. Nemo descendet de cruce , qui desiderio Christi mortem amat. Quid enim ad mortem hanc felicius quàm ipsa crux , ex quâ tam brevi tempore ascenditur ad Christum?

Non me ergo delectet amplius vivere , nisi quia patiendum est. Etiam , Domine ; utere morte mea ad augmentum vitæ meæ. Non parum vixi , & mihi multum est temporis , sed parum vitæ. Vitam negligentius actam emendet finis vitæ : sit mors supplementum poenitentia. Alia remedia salutis meæ frustra insumpsi ; timeo ne parum profuerint : ultimum hoc superest remedium , quod si avidè sumam , quamvis infirmum & ægrum , mox sanabit. Neque enim tantus medicus fallere potest aut falli. Quamcunque mortem præscribat , & quocunque tempore , non recusem. Fiduciam præstet amor præscribentis ; nec mihi aliquid utilius contingere posse arbitrer , quàm quod illo jubente conti-

gerit. Arripiam verbum de ore jubentis; verba enim vitæ æternæ habet, & quodcunque loquitur salus nostra est. O anima mea, quæ sponsa es Christi! Ecce sponsus venit, exi obviam ei. Sponsæ parum est expectare sponsum, nisi quâdam festinatione amoris, venienti occurrat; si timet mortem, non tantùm non occurrit, sed pene fugit.

Hoc unum habet mors durius, quòd cùm proxima est aut cùm adest, laudare te non possumus cujus beneficio viximus, & cujus majori dono morimur. Hanc jacturam compensemus jam laudibus nostris, & faciem tuam præveniamus in confessione. Sit talis vita, ut Judicem meum adorare possim statim ac judicaverit. Quodcunque in morte laudari non potest, laudem ante mortem, sperans me laudaturum esse post mortem. Primùm, benedicta sit mors Filii tui, per quam factum est, ut posset etiam mors ipsa laudari. Benedicta sit mors peccatoris, post quam amplius non sum peccaturus. Benedicta sit mors mea, quia etsi ob iniquitatem meam vituperanda est, ob Salvatoris misericordiam laudanda est. Benedictum tempus mortis, quod me vitæ meæ conjunget, nunquam postea moriturum. Benedictum genus mortis, quod ante mundi consti-

tutionem placuit salvanti me. Benedicti dolores mortis meæ, qui iudicium meum justum probant, & qui me facient justiore.

Quidquid humanâ trepidatione averfari potero in morte meâ præter iniquitates meas, christianâ nunc pietate amplector; & mihi jam placet quodcunque displicebit. Damno iudicium meum, quod non satis congruat iudicio Dei mei. Nec mihi imputes stultitiam hanc, Domine; sed eam, oro te, abluas ut & alia peccata mea sanguine Agni, cujus mortem in morte meâ intueri ut illi benedicas. Etiam, Domine, benedic morti meæ, ut in te moriar, & in amplexu salvantis me. Non mereor mori pro Domino meo, quod tribuas perfectioribus; saltem moriar cum illo, & sufficit mihi. Annue votis servi tui, Deus meus, & ne me prives voluntate labiorum meorum. Per Dominum nostrum &c.

T I M E N D A V I T A.

Quis me liberabit de corpore mortis hujus.

Rom. 7. 24.

IGNOSCE mihi, Domine, quia peccavi, & nondum placavi faciem tuam. Adhuc vellem vivere, ut converterer ad Dominum meum in toto corde meo.

Quæro spatium vitæ , quia quæro spatium poenitentiaë. Sed væ mihi , si amo vitam , & non amo poenitentiam. Da mihi , Domine , ut timor hic mortis oriatur ex timore judiciorum tuorum , & amor vitæ ex amore poenitentiaë. Sed ita mortem timeam , ut timendo provideam animæ meæ ; nec vèlim vivere , nisi ut sanctiùs vivam , & sanctiùs moriar.

Sed quid agam , Domine ? Vita hæc mea magis servit peccatis quàm poenitentiaë. Si timeo mortem timore judiciorum tuorum , cur non timeo vitam timore peccatorum meorum ? Timor inferni parit timorem mortis ; sed cur timor peccati non parit timorem vitæ , cùm peccatum ipsum infernus sit , & causa inferni ?

Revera quidquid mihi fingam me ipsum decipiendo , non placet mihi vita nec eam quæro , si viam vitæ aut fugio aut reformido. Væ mihi , Domine , si vitam hanc amo , quæ via est mortis , & mortem odi , quæ est via vitæ , & via compendii. Qui vitam amat , mortem expectet ; ne mortem fugiendo , fugiat vitam , & mortali hac vitâ seu veriùs morte delectetur. Da mihi ergo ut patienter vivam , & lætanter moriar , ut benè vivam & benè moriar. Amen.

PRÆPARATIO AD MORTEM.

Quotidie morior. I. Cor. 15. 31.

QUID mihi prodesset non timere mortem, si non me pararem ad mortem? Da mihi ergo, Domine, continuâ recordatione mortis, omnem mortis vim infringere. Tua hæc æquissima sententia est: *Pulvis es, & in pulverem* Genesi
3. 19. *reverteris.* Amen; pereat corpus ob carnem peccati, quia in peccato conceptum est, mox resurrecturum ob misericordiam tuam, quia templum spiritûs tui factum est. Non obliviscar unquam verborum Domini mei. Quidquid egero, & in quocunque rerum statu fuero, versetur semper ante oculos meos pulvis meus; & quod aliquando in sepulchro futurus sum, humiliante te cor meum, semper sentiam.

Non frustra dixisti, me reversurum in pulverem; sed hoc misericordissimè providebas, ut de mortali hoc pulvere oriretur in nobis humilitas, omnium parens foecunda virtutum, unde mors ipsa arceretur. Qui enim cogitat semper quod minatus es, Domine, non in hoc incurrit quod minatus es. Ipsa sui evacuatrice est sententia tua, quia pius & clemens es; fitque mihi, dono spiritûs tui,

causa non moriendi & præstantissimum adversùs mortem remedium , scire me moriturum.

Sed hoc mihi concede , Domine , ut non putem solâ mentis cogitatione mortem destrui. Accingam me ad hoc prælium , non inutiliter meditando , sed piè sanctèque vivendo : otiosas enim cogitationes , & quæ unum ex capillis immutare nequeant , nec diu duraturas , mors non timet ; sed crucem Filii tui , quâ spoliata est reformidat. Discam igitur , adversùs inimicam meam pugnare sicut pugnavit Filius tuus , in omni humilitate & patientiâ , in laboribus , per ignominiam & paupertatem ; neque enim vinci potest , nisi ut victa est. Ars vincendæ mortis , scientia crucis.

Doce me hanc artem , Domine ; ut cùm fidelem me tibi in portandâ cruce exhibuero , fidelis sim & in morte. Periculum est ne in hoc ultimo conflictu vincantur , qui inexperti sunt , nec diu aut nunquam cum illâ pugnaverint. Horrendum est incidere in mortem victricem , & quæ tota sentiatur. Væ non expavescentibus pondus illud immensum & importabile mortis cum totâ peccatorum mole incumbentis ; alio enim quovis pondere gravior sarcina iniquitatis , quam poenitentia non deleverit ; cùm

damnandi , remedium hoc putent, obrui
repentino lapsu montium ; sitque illis
voti loco , perire tam stupendo exitio ,
plus peccato perituris. Nempe jam ma-
lum suum intelligunt , cùm illud intel-
lexisse , non remedium , sed poena sit.

Horream , Deus meus , pondus hoc
mortis ; & quandiu vivo , exonerem me
peccatis meis , ut gravem illam non sen-
tiam. Timeam modò hos montes , ne
aliquando optentur. Cogitem semper
mortem ; sed ita cogitem ut destruam
opera mortis , mortificans membra mea
quæ sunt super terram ; ut cùm , te ad-
juvante , peccati victor extitero , in quo
vis tota mortis sita est , tunc demum &
ipsa vincatur. Absque stimulo nocere
non potest. Aufer ab eâ arma hæc tene-
brarum in quibus confidit , & circum-
cinge me servum tuum armis apostolicis,
quæ sunt arma lucis , ut per te armatus
vincam facilè non armatam.

Nunquam pactum ineam cum morte ;
sed quidquid illi favere potest , quamvis
leve videatur , exhorrescam. Habet enim
hoc à serpente qui illi initium dedit, ut
sensim serpat, & , nisi adjuves , mox tota
sit ubi aliquid ejus influxerit. Nihil in
me sit mortis , & languebit mors ; nec
impugnare poterit adhærentes Domino
meo , qui Dominus est vitæ & mortis.

Amara mors pacem in mundo habenti ; sed hanc pacem non habenti suavis est. Non diligam hanc pacem quam dat mundus , & ad moriendum excellentissimo præsidii genere munitus sum , quod nunquam fallit. Qui enim pacem mundi & oblectamenta spernit , pace tuâ fruitur , & teipso lætatur , Deus meus , unde vinci non potest.

Sed cum multa sint ad benè moriendum subsidia ; hoc potissimum amplectar de quo scriptum est , quod vincit mortem ; *Fortis ut mors dilectio* , & fortior morte. Moriatur anima mea morte amantium ; quia revera non moriuntur qui diligunt , & in quibus vivit spiritus tuus ; sed de morte , & per mortem transferuntur ad vitam. Misere mei secundum judicium diligentium nomen tuum. Minuitur mors , cum augetur charitas & perficitur. Quid ergo esset mors , si perfecta esset charitas ? Amem te , Deus meus , & sufficit mihi. Fuga mortis , perseverantia amoris. Amem te perseveranter , nihil præter te amando , & non morior , quia non amitto te ; aut felicius morior , ut perfectius vivam , adhærens tibi. Per Dominum &c.

Judic.
16. 30.

MORIAR mihi & mundo , antequam moriar. Moriar , Domine , ne moriar. *Moriatur anima mea cum Philistiim* ,

si aliter vivere non potest, si aliâ ratione non possum liberari à peccato. Vitam tuam quâvis morte emere, lucrum est & felicitas. Moriatur ergo in me peccatum, ut tibi vivam: aut certè moriar ipse, ut moriatur mecum inimicus meus, quo vivente non vivo, & quo moriente non morior. Sed fac me refrigerari priusquam abeam, & ante mortem totum tibi vivere (quod est verè vivere); ut saltem moriar in te, quia non sum dignus mori pro te.

M O R S C H R I S T I,
mortis nostræ solatium, sanctificatio, & meritum.

Si commortui sumus, & convivemus.

2. Tim. 2. 11.

UT beatam horam mortis tuæ adoremus, Domine, da nobis & horam mortis nostræ quam solus nosti, perfecto corde, & vivendo & moriendo adoremus.

Domine Jesu, qui mori voluisti, ne moreremur, sed ut de morte ad vitam transiremus; recordare mortis tuæ in tempore mortis meæ, cum nec tui nec mei recordari poterò.

Mortem meam quæ poena peccati est, tutetur & protegat mors tua quæ tollit peccata mundi; ut jam piè cogitando

quia mortuus es , tunc, moriendo non moriar.

Verſetur ſemper ante oculos meos tempus mortis tuæ , quæ mihi fit fons vitæ cùm vita mea defecerit ; ut in morte tuâ vitam invenire poſſim , qui in vitâ meâ mortem ſingulis diebus invenio.

Fac , Domine , ſemper conjungam cogitationem mortis tuæ cogitationi mortis meæ, ut quod in morte meâ amarum eſſe poſſet , benedictione mortis tuæ dulceſcat ; ſicque , vitæ permanentis amore , mortis tranſeuntis levem ictum non reformidem.

Benè vivam , Domine , ut benè moriar ; ut benè vivam , vivam de te ; ut benè moriar , moriar in te ; vitam meam informet vita tua , ut ſancta fit ; & mortem meam defendat mors tua, ſalus noſtra , ut fit ſalutaris. Qui vivis &c.

SOLILOQUIUM

IN FUTURAM NOSTRAM
Agoniam.

ECCE, Domine, mox ingrediar viam univerſæ carnis , quam ipſe ingreſſus es , mortalitati carnis noſtræ , non neceſſitatis lege ſed amoris , obnoxius. Et quia triumphatorem mortis, non cum infirmitate agonizantis , ſed cum pote-

stāte vincentis , mori in cruce oportebat ; agoniam mortis in ipso vitæ tempore accersere voluisti ; ut nobis ipsâ naturæ conditione necessariò agonizantibus , nec exemplum deesset , nec auxilium Agonizantis . Quid ergo hæres , anima mea , in corpore mortali immortalis ? Morendum est ut vivas . Dominus tuus mortem vicit , sed moriendo : non aliter vinces .

Quandiu vivimus , superari mors non potest , nec vitari . Deo id volente , moriamur & ipsi volentes ; & mortem , auctori vitæ consentiendo , vincemus . Nemo vivens mortem vincit ; Nemo cum Christo moriens ab eâ vincitur . Non in vitâ , sed post mortem exprobratur mors . Timetur à viventibus ; confunditur à mortuis , à quibus audit : *Ubi est , mors , victoria tua ?* 1. Cor. 15. 55. Quid times ? iter ingredi tritum vestigiis Christi , & jam securum ob victoriam Christi .

Periculosa nimium & timenda Christiano via est , in quâ nulla apparent vestigia Christi . Omnis via quam non confecit , invia est , & ducit in præceps . Sed hîc , ipsa ejus vestigia multo sanguine rubentia , & velut adhuc recentia intueris . Otiosa hominis vestigia , tantùm illius transitum qualemcunque indicant ; sed vestigia Christi , non modò viam indicant , sed securam reddunt , & vires tri-

buunt ambulanti. In vestigiis Christi, Christus ipse invenitur. Si agoniam illius piè cogites & venereris, non est quod tuam reformides; aderit agonizanti.

Quid mortem times, jam Christo famulantem, post mortem Christi? Ictum illa infliget, qualem Dominus voluerit, quo tempore voluerit, & quomodo voluerit. Nihil ipsa ex se ausura est. Quidquid tunc patieris; Salvatore id jubente, & ad salutem tuam, patieris. Ut moriamur, non est in potestate & arbitrio mortis. Mors nostra, in manu vitæ. Christus vita tua est. Si aliunde vivere vis quàm de Christo, time mortem; sed si à Christo in servitutem redacta est, quæ antea generi humano dominabatur; si jam nihil potest nisi iussa; quid membra corporis mortem timent, quæ capiti servit, & omnes nutus imperantis sollicita & timens observat? Natura deficiat universa; sensus omnes claudantur vitæ & se ultro morti aperiant, intrare non potest, nisi cum jufferit. Qui tempus & modum mortis suæ elegit, ipse tempus & modum tuæ eliget; ipse manum jam inermem præsens reget. Quid faceret mors coram vitâ, & obsequens vitæ, nisi quod ad vitam inserviret.

Ecce mors, Christianis initium vitæ facta est; & novo ministerio fungens,
membra

membra corporis capiti glorioso conjungit, quæ ab eo vitâ mortali separabantur. Nam *dum sumus in corpore*, peregrinamur à *Domino*; ideoque plus de vitâ quàm de morte querendum est. Ne verò mortem cogites, sed vitam; tam proxima es vitæ, quàm proxima morti. Occurre Salvatori. Iterum atque iterum intuere agonizantem; aut potius nihil aliud intuere. Sudor ille sanguinis, tuus est: sudor capitis tam letalis, membrorum vita est: tam suavis est morientibus, quàm amarus fuit agonizanti. Tristis fuit in agoniâ suâ, ut in tuâ gauderes; mortuus est, ut mortem tibi leniret; resurrexit, ut vivas.

2. Cor.
5. 6.

O charitatem infinitam! A morte abstulit, unde morereris; & in eâ tantùm reliquit, unde viveres. Quidquid durius & acerbius futurum erat in agoniâ Christiani, in suam transtulit Christus; & nihil ferè in nostrâ, præter nomen mortis & metum inanem, relictum est. Veram vitam amanti, nihil in morte præter vitam invenietur.

O Domine Jesu, qui tempus agonizantiæ tuæ prævenire voluisti, ut non in morte, sed in ipsâ vitâ cum morte confligeres, quam in te vim omnem suam experiri permittebas; fac imitemur vitam tuam, ut mortem quoque & agoniam tuam imitemur. Agoniam mortis nostræ, in

tempus vitæ ipsum transfer; ut labor sit vitæ, & quies mortis. Deficientem vitam, adhuc viventes & sani cogitemus, ne deficiamus moriendo. Meditemur quod futurum est; infirmioremq; partem vitæ & periculosiorem, totius vitæ poenitentiam muniamus. Agonia membrorum, quam sudore tuo faciliorem reddidisti, sit velut gratiarum actio pro agonia capitis. Jam tibi offeramus quidquid in eâ laboris futurum est; aut potius agoniam tuam tibi offeramus, ut parcas nostræ, eamque misericorditer tuearis.

O si agoniam Domini mei cogitare possem in tempore agonie meæ! O si piè afficerer, dolorem & amorem Agni mox immolandi ponendo mihi ante oculos, & amando atque adorando sive agonizantem sive morientem, nullus esset dolor morientis, ob consolationem redimentis. Amen.

ECCE, Domine, advesperascit. Mors vicina est, & nondum incoepi. Accelera opus, quia piger sum; & alleva onus, quia infirmus sum. Alleva me, non subtrahendo crucem, sed addendo charitatem; ut computrescat jugum à facie olei, quod nimis duro durum est, & multùm amanti levissimum erit.

DE SANCTISSIMO
EUCCHARISTIÆ
SACRAMENTO.

PRÆPARATIO
ad sacram Communionem.

*Ego sum panis vivus qui de cælo descendi.
Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet
in æternum.* Joan. 6. 51.

QUAM propè es, Domine, & quàm longè! propè, videnti & prope-modùm tangenti te; sed heu me! longè, non amanti. Quid prodest proximum fieri sensibus, per quos non intrat salus tua; & à calore fidei, seu charitate salvatrice disjunctum esse, quibus tantùm vivitur. Quidquid nobis fingamus, non salvat amor tuus, nisi amantem. Panis iste quotidianus, qui mortem retardat, aut veriùs longiorem facit, etsi membris omnibus circumfundatur, non prodest nisi manducanti. Panem ventris in ventrem descendere oportet, ut nutriat; quantò magis panis ille cordis in corde ipso recipi debet, ut vim suam exerat, & confirmet cor hominis.

Intra, Domine Jesu, in cor meum.

Quandiù non intras, indignus sum; sed dignum facies cùm intraveris. Cùm tantùm foris es, adhuc morior; cùm intus es, sanor. Intra, & sana; ut sanatus, tibi vivam. Nam si viverem, & tibi non viverem, adhuc periculosiùs morerer. Nihil justius, Domine, quàm ut ii qui de te vivunt, tibi vivant. Absit ut conviva privatum panem veneno corruptum ad mensam regis afferat. Cibo tuo conviva tuus utatur, quandoquidem id imperas; ut mensa cœlestis, sit quoque conversatio cœlestis; nec amplius habitet in Babilone, qui de mensâ regis jugiter vescitur in Jerusalem. Non invitas alienos; & qui eâdem mensâ fruitur, in eâdem domo, non verò cum hostibus, manere necesse est. Absit ut qui manducat vitam, esca sit mortis. Vivat, Domine, & abundantius vivat, qui de te vivit; nec aliam amplius mortem norit, quàm quæ necessaria est ad vivendum: nisi enim nobis & mundo moreremur, non tibi viveremus.

Sic moriamur, & sic vivamus, ut semper vitam manducemus, quæ mortem excludit in æternum. *Unus sit nobis dolor, hac escâ privari; & unum gaudium, ad mensam admitti regiam, quæ convivas reges facit. Hoc desiderium, omnibus aliis desiderijs finem imponat. Cor-*

s. Chry-
sost.

pori vitæ incorporemur, & vitam vivamus quæ vitâ digna sit. Comedamus, & moriamur, ut semper vivamus. Quid adhuc cuni mundo aut rei aut spei esse potest, convivæ cœlesti? Quid ergo habemus justæ querelæ, cum posuerit nos Rex servos suos inter convivas mensæ suæ? Qui aliud timet, aut aliud sperat, infanus. Qui aliunde lætatur, nondum gustavit, & nondum vidit, quàm suavis est Dominus. Hoc gustemus, Domine, & hoc videamus; & sufficit nobis. Amen.

VENIAM ad te, Domine, ut reficias me. Tollam jugum tuum super me, & discam à te, quia mitis es & humilis corde. Sequar exemplum quod dedisti nobis; ut quemadmodum fecisti nobis, ita & nos faciamus. Da mihi, ut manducando vitam, habeam vitam; ut manducem intus, & non foris; ut manducando carnem tuam, & bibendo tuum sanguinem, maneam in te; ut sim membrum tuum, quod vivum faciat spiritus tuus in corpore tuo, corripiendo in misericordiâ, & vivificando; & maneat in me, sed non in superficie, & quasi hospes de transeuntibus; & sim templum tuum, eruendo me ut honorificem te; & confitear Domino in bonis meis quæ tribuit mihi, secundum justi-

150 O R A T I O N E S
tiam ejus , & psallam nomini Domini
altissimi.

N O N sufficit , Domine , optima ali-
menta dedisse misero fame pereunti ,
nisi etiam periculosum fastidium cu-
res , solidum cibum averfantis. Da quod
comedam : da ut esuriam ; da ut come-
dam. Da mihi alimentum istud , non
foris , ubi nihil prodest , & ubi littera oc-
cidit ; sed intus , ubi pascit & confirmat
cor hominis. Leva ipse manum meam
ad os meum , ut panem tuum mandu-
cem esuriens , teipso largiente esuriam
qui largiris panem ; & satier , nihil aliud
esuriens ; & illo repleantur viscera mea
ad majorem vitæ abundantiam ; & in
illo requiescant , ad currendam sine of-
fendiculo viam tuam in fortitudine cibi
tui.

S. Aug. O A G N E occise ad nuptias tuas , qui
quos invitas , de carne tuâ pascis : cavea-
mus venenum voluptatis , ut dignos
facias convivio veritatis. Absit , Domi-
ne , ut in convivio amoris , careamus
veste nuptiali charitatis.

Vide Amem. Vincam p. 46. Quis amat 63.



P O S T S A C R A M C O M M U N I O N E M.

Panem Angelorum manducavit homo.

Pf. 77. 25.

DIc mihi, Domine: Hodie salus huic domui facta est; sed ita dic ut audiam; & quandiu vixero, ob tantum beneficium gratias agam.

Imple cor meum ejusdem mannae suavitate, quâ implevisti os meum; ut anima mea & caro mea exultent in Deo meo.

Nihil mihi deerit, Domine, habenti te, si nihil amplius quæram præter te.

Habenti te, Domine, da mihi ut non quæram me; aut si quæserim me, non inveniam me; aut si invenerim, statim amittam me; ne ipse amittaris, quem cum quæro securus sum, & cum invenio salvus sum.

Non solum vitam, Domine, posuisti ante me, sicut olim dicebas; sed ecce eam misericorditer ponis in ore meo, & in corde meo, ut mortem externam non timeam, cum intus vita sit.

Derelinquat me cor meum & vita corporis mei, dum tu, Domine, qui major es corde meo, & qui es vita animæ meæ, non me derelinquas.

Quid hoc est, Domine, quòd intra viscera mea abscondi voluisti; nisi ut

viscera naturæ, quæ ob peccatum viscera mortis facta sunt, fierent te intrante viscera misericordiæ, & in eis, expulsâ morte, vita regnaret?

Exi, Domine, & noli intrare, quia sepulchrum est, & foetet; sed potius intra, Domine, & ne exeas, ut sanctifices sepulchrum hoc, & fiat templum.

Moriar mihi & mundo, beneficio corporis tui; ut per te moriens & in te vivens, jungar tibi; & sis mors viventis, & vita morientis.

Cùm panem Cœli & panem Angelorum mihi dederis, da mihi famem Cœli & gustum Angelorum, ut sentiam quod sentiunt qui nihil aliud præter te sentiunt.

Agnoscat in me, Domine, unde nutritior; & cùm alimentum tam divinum sit, vita mea etiam divina sit.

Cùm corpus tuum corpori meo conjungi volueris, cor tuum quoque cordi meo ita jungatur, ut sim secundum cor tuum, & *cor tuum*, nolendo quidquid nolueris, & volendo quidquid volueris.

*Humilis
corde, cor
Dei.
S. Paulin.*

Cùm tu, Domine, Verbum Patris altissimum, lac fieri volueris, ut ad parvulos pervenires; fac me fieri parvulum, ut ad altitudinem tuam merear aliquando pervenire.

Ut totus es in Cœlo, Domine, &

totus in corde meo : ita sim totus in exequendis mandatis tuis strenuâ obedientia, & piâ meditatione totus in Cœlo.

Fac tibi, Domine, spatium ad habitandum in corde meo ; ut, te in eo manente, grandescat in latitudine charitatis.

Cedam locum Domino meo, te intrante in cor meum ; nec in me amplius maneam, ut semper in me maneas ; atque ita, in te maneam, nunquam à conspectu tuo separandus.

Ne frustra descenderis deorsùm in hanc abyssum cordis mei, leva me sursum ; ut non sim amplius de terrâ terrenus, sed de cœlesti habitatore cœlestis.

Sit mihi corpus tuum, Domine, collyrium oculorum meorum ; & fiant tam christiani, ut formidandas aspiciam divitias quas respuisti, & optandam paupertatem quam elegisti.

A D C H R I S T U M

sub Sacramento latentem.

DOMINE Jesu Christe, Deus abscondite, Deus salvator, & noster Emmanuel : qui in hoc magno pietatis sacramento jugiter existens, sacro igne corda nostra invisibiliter accendis & illustras ; simulque doces nos orare Patrem in spiritu & veritate : da nobis, quæsu-

mus, sic in tabernaculo tuo abscondi, & à mundo rebusque caducis aveli, ut puro animi cultu valeamus tibi fideliter serviendo placere; & te charissimum animarum sponsum piè & humiliter adorare, qui cum Patre & Spiritu sancto, in Trinitate indivisâ, ac perfectâ unitate vivis & regnas, solus & unus Deus in secula seculorum. Amen.

DA nobis, Domine, fidem Eucharistiæ tuæ, in omni loco & in omni opere tam præsentem, ut te in eâ ceu vivum & rationale quiddam, aut potius vitam & rationem ipsam, alloquamur & obsecremus; nec tantùm ut rem divinam, sed ut Deum adoremus.

DOMINE Jesu Christe, cui viventi, mortuo, & resurgenti piæ mulieres obsequium & testimonium præbuere: tribue nobis quæsumus, ut qui gratiæ tuæ thesaurum in vasis fictilibus gerimus; te adjuvante, in fide tuâ per dilectionem operante roboremur, qui vivis & regnas &c.

Apoc. 5.
12.

DIGNUS est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. . . . Sedit in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Amen.

CHRISTUS, JUSTITIA NOSTRA,
& pretium salutis nostræ.

Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

1. Joan. 2. 2.

QU I D respondebo Domino meo ?
Decem millia talentorum debe-
bam ; & cùm jam in æternum carcerem
rapiendus essem , dedisti unde solverem,
& non solvo. Nonne pretium salutis no-
stræ , Filius tuus ; quem jussisti ut tibi
offerremus , levantes manus puras in fa-
crificio vespertino , in redemptionem
peccatorum ? Væ , adhuc non solventi-
bus. Sed me miserum ! Non solvam , nisi
iterum adjuves. Pone ut arcum æreum
brachia nostra , ne unquam demittantur ;
& pro incessabili delicto tam sæpe pec-
cantium , perpetuum redemptionis no-
stræ pretium offeramus.

Domine , ecce Filius tuus dilectus ,
in quo tibi complacuiisti. Ecce legifer
noster , judex noster , & justus noster ;
advocatus noster , frater noster , & pater
noster ; medicus noster , remedium no-
strum , & sanitas nostra ; caput nostrum ,
vita nostra , & beatitudo nostra. In om-
nibus divites facti sumus in illo ; qui fa-
ctus est nobis sapientia , & justitia , &
sanctificatio , & redemptio. Placeat no-

bis, Domine, tam ingens donum, quod à te accepimus ut tibi redderemus. Solum nobis placeat, quod solum tibi placet, & per quod tibi placemus: ut non ingrati beneficio infinito, amemus & amemur, quod sufficit nobis.

Jussisti ut audiremus Filium tuum. Etiam, Domine, audiamus illum, & *Tertul.* docti sumus. *Paucis Christiano ad scientiam opus est; unctio spiritûs ejus docet de omnibus. Nihil aliud audire, nihil aliud scire præter Christum crucifixum, omnia scire est.* Magister noster est: illum humiles & admirantes audiamus; quod ut fiat, claude in nobis aures quibus auditur mundus, & da nobis aures audiendi quibus auditur Christus tuus.

CHRISTUS PASTOR BONUS:

O BEATA infirmitas! quia defunt vires ad ambulandum, portat me Rex meus & Deus meus. Quia nulla est fortitudo in pereunte oviculâ, datur ei fortitudo ipsa Pastoris, ut nunquam in se, sed in Pastore tantum gloriatur. O vere Pastor! porta me, ne cadam: pasce me, ne deficiam: rege me, ne errem: tuere me, ne peream.

Vide O Pastor bone! p. 65.

CHRITUS VIA, VERITAS,
& Vita.

O VIA, Veritas, & Vita! O Veritas æterna, quæ facta es quodammodo temporalis, ut essemus æterni: & Via fieri voluisti, ut per te ad teipsum tenderemus! miserere errantis, quia Via es; miserere, non solum verbis sed totâ vitâ mentientis, quia veritas es; miserere mortui, & adhuc morientis, quia vita es. O Via, Veritas, & Vita! Non inveniatur extra viam charitatis & humilitatis, ut perveniam ad patriam veritatis.

AMOR VERITATIS.

Deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Eccli. 37. 19.

N I H I L quæram, Domine præter veritatem. Ideo vivam, ut tantum bonum mihi comparem, ne mendaciter vivam. Quidquid nobis necessarium est, in veritate reperitur. Dulcis est, & amara. s. Aug. Quando dulcis est, pascit infirmos: Quando amara est, curat ægrotos: quando curavit, facit beatos.

Largire nobis spiritum veritatis tuæ, quæ nos sanet, quia ægrotamus, & nos pascat quia fame perimus. Amemus suavitatem pascentis, & amaritudinem cu-

rantis. Et quia in eâ alimentum invenimus ad vivendum, & remedium ad convalescendum; lucem ad videndum, & robur ad operandum; nihil aliud quæramus, ut divites simus.

Non cogitem de mundo nec de me, ut de te semper cogitem; & veritas tua sit perpetuum & firmissimum præsidium cordis mei, cujus beatitudo est cognitio & amor veritatis.

Rom 9. Ut veritas dicatur in Christo, amando utique dicenda est. Qui enim veritatem absque charitatis affectu annuntiat; etsi verum dicat, corde mentitur.

**POSTULATUR AMOR VERITATIS,
ab omni simulatione alienus.**

Omne mendacium, ex veritate non est.

Joan. 2. 21.

O DOMINE Jesu, qui vera lux es; illumina omnem hominem qui te videt, ne cæcus fiat; & desinens te videre, desinat etiam & vivere. Hîc enim, in regione morientium & apud mortuos, qui cæcus est non propterea moritur; apud te verò qui lux es & vita es, mortui sunt omnes qui cæci sunt. Da nobis ergo ut ambulemus in luce, ne nos tenebræ comprehendant, in quibus nemo ambulat & vivit. Foris pugnæ, & intus timores;

& inimici hominis, domestici & extranei. Alii insidiantur malignè; alii apertè vim faciunt; & ipsi per nos infirmifumus. Thesaurus noster, veritas est. Thesaurum hunc portamus in vasis fictilibus, quæ facilè franguntur; & in medio latronum, qui furantur & mactant. Solus adjuvas. Sed si adjuvas, securifumus; quia nemo furatur, & nullus habet nocendi vim.

Veni, Domine Jesu. Da infirmis famulis tuis spiritum fortitudinis tuæ; & nulla prævalebit adversitas. Da cæcipientibus spiritum lucis tuæ; & nulla decipiet falsitas. Adjuva nos. Sed ut adjuves; non ipsi adjuvemus te quasi infirmum, sed amemus ut salvantem nos, veneremur ut Deum. Cum interdum apparet vinci te ab hominibus; non expectas auxilium nostrum, sed tentas, & experiris affectum. Non vinceris, Domine Jesu, nec adjuvaris, ipse adiutor noster, ipse victoria nostra. Semper veritate indigemus; nunquam nobis indiget veritas.

Absit, ut quasi sapientiores, aliud eligamus quasi magis profuturum, quàm quod ipse præcepisti. Absit, ut quasi tubantem veritatem, industriâ nostrâ non voluntate tuâ, prævenientes fulciamus, & ipsi cadamus. Qui te infirmum

suspiciatur , ipse infirmus ; qui te labi putat , ipse labitur . Da nobis potius ut nihil veritati tuæ opportunum aut utile , præter ipsam , arbitremur . Quidquid affine mendacio , à veritate alienum est ;

2. Cor.
6. 14.

(*Qua enim societas luci ad tenebras.*) Nunquam ergo confugiamus ad tenebras , pro luce certantes ; ne crimen sit in tam flagitioso turpique auxilio ; & ad vincendum , nihil aptius veritate judicemus , quæ sola vincit , ut tibi vincamus ; qui cum Patre , &c.

Vide Viam veritatis p. 28. Da mihi 29. Et ne auferas 31.

PACEM habete cum veritate ; diligite veritatem ; gaudete de veritate ; gustate veritatem ; ambulate in veritate ; stete in veritate ; pugnatè pro veritate ; & interficite quidquid contrarium est veritati .

AD POSTULANDAM UNITATEM
& pacem, in charitate veritatis.

Solliciti servare unitatem spiritûs , in vinculo pacis. Ephes. 4. 3.

DOMINE , qui rogasti Patrem ut essemus unum , sicut unum estis ; imple in nobis tantæ hujus veritatis affectum & effectum . Congrega nos sub alis tuis , sicut gallina congregat pullos suos ; ut fiat unum ovile & unus pastor ;

ut sit multitudinis credentium cor unum & anima una. Qui vivis &c.

PAx huic domui; & ædificetur ambulans in timore Domini; & consolatione sancti Spiritûs repleatur; ut sicut abundant passionibus Christi in nobis, ita & per Christum abundet consolatio nostra, qui tecum vivit, &c.

Orate pro invicem ut salvemini. Jac. 5. 16.

FAc nos, Domine, sollicitos semper in orationibus pro fratribus nostris, ut sint stabiles in fide, radicati in charitate, immobiles à spe Evangelii, abundantes in opere Domini semper, custoditi in fasciculo viventium, perfecti & pleni in omni voluntate Dei; ut oblatio eorum accepta fiat & sanctificata in spiritu, ut si frangendum sit alabastrum, impleatur Domus odore unguenti. Per Christum Dominum &c.

DA nobis, Domine, non sollicitos esse, nec turbari circa plurima; ne excidamus à simplicitate quæ est in Christo Jesu, & à sinceritate Dei. Nihil solliciti simus; sed in omni oratione & gratiarum actione, petitiones nostræ innotescant apud te. Et pax tua quæ exupurat omnem sensum, custodiat corda nostra & intelligentias nostras in Christo Jesu. Amen.

Omnes homines vult (Deus) salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. 4.

ECCĒ, Domine, pauperes facti sumus valde, & pauci numero. Adduc ergo aliquos de fratribus nostris ut epulentur nobiscum; quia non est Domino difficile salvare vel in paucis vel in multis, qui neminem vis perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire. Adduc aliquos de fratribus nostris lapsis; quia omnia tibi possibile sunt, quidam lasso virtutem; & iis qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicas. Adduc aliquos de inimicis nostris, de Hæreticis, de Ethnicis, & Judæis; quia non est apud te impossibile omne verbum, qui vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

Rom. 11.
18.

Tu dixisti: quoniam Judæi inimici facti sunt propter nos. Etiam, Domine, fit nomen tuum benedictum, quia fecisti nobiscum misericordiam tuam. Sed da nobis jam ut fiant amici propter nos; quia non sufficimus ad esum Agni, & quia participes facti sumus pinguedinis olivæ. Fiant amici propter Patres, quia radix sancta; & ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Fiant amici propter nomen tuum sanctum, ut glorificeris in eis, & vincas cùm judicaris, qui vivis, &c.

S O L I L O Q U I A

In Parabolam Samaritani.

Luc. 10. 33.

I.

BENEDICTUS Dominus , qui calamitatis nostræ , non tam Parabolam quàm historiam in suo Evangelio scribi voluit , ut illam legendo , & de nobis confunderemur , & de tantâ misericordiâ tuâ gloriaremur. Ego sum , Domine , ego sum qui incidi in latrones. Adam in nobis , & nos in Adam descendimus ab Jerusalem in Jericho. Civitas tua , Domine , latronibus non est obnoxia ; sed væ descendenti , væ relinquenti te. Nihil tibi adhærenti timendum : omnia deserenti te timenda sunt.

Ecce spoliatus sum ; & te amisso omnia perdidit. Semivivus relictus sum ; & utinam semivivus ! Nam veram vitam amisimus ; & vita hæc tam saucio superstes , vera mors est. Tibi & justitiæ tuæ mortui sumus ; & iniquitati adversum te , & adversum nos vivimus. A plantâ pedis usque ad verticem non est in nobis sanitas ; & universum corpus una plaga est. Nec ut latrones isti , ita homicidæ nostri recesserunt. Poenis nostris satiari non possunt ; adhuc in mortuos sæviunt.

Quàm verò vulnera illa descendenti

ab Jerufalem levia funt , fi cum noſtris conferantur ! Quid vulnera mortalium corporum , ad vulnera animæ ? Immortalia animæ immortalis vulnera nunquam fanarentur , niſi naſta fuiſſent medicum immortalem. Ille quidem æger , invitus vulneratus eſt , & vulnerari ſe doluit ; & poſtquam vulneratus eſt , ingemuit. Ego autem in latrones volens incidi , volens vulneratus ſum ; imo ipſâ meâ voluntate vulneratus ſum ; nam liberum hominem quis vulnerare poteſt invitum ?

Sed hæc ingens miſeria eſt , quod vulnerari jam & mori volumus ; cumque mortem momentaneam , quæ vitari non poteſt , tam anxie reformidemus : mortem æternam , quæ vitari poſſet ſi timeretur , non timemus. Et ille qui ſpoliatus eſt , ante adventum Samaritani ſanari voluiſſet ; nos , illo miſeriores , vulneribus noſtris favemus ; & crudelitatem homicidarum adjuvantes , quidquid nobis nocere poteſt ultro quaerimus , nec curari nos patimur. Quamobrem cum ſanari volumus , hoc medico noſtro debet tribui , non ægrotanti. Deſiderium ſanitatis , (quod jam illius quoddam initium eſt ,) opus tuum , Domine , & beneficium tuum eſt. Voluntas noſtra , in nobis , & noſtra eſt , ſed non ex nobis.

Sed quid oleum & vinum Samaritani, ad remedium quo curamur? Beneficium quidem contulit Samaritanus; sed quod illi non valde molestum erat; oleum & vinum, obvia cuique remedia, nec quæ caritate multùm commendentur; duo denarii, & si quid fortè ampliùs supererogavit, pretium leve. Non sic, Domine, non sic curasti nos. Mortuus es, ut viveremus. Quidquid cogitari potest acerbum & atrox, pati voluisti, ut illud non pateremur. Dolorem vulnerum nostrorum tibi ipse sumpsisti; & nihil ferè nobis relictum est præter gaudium sanitatis. Mors tua, vita nostra est: remedium nostrum, sanguis tuus. Quod tanto dolore fudisti, en quanto lætitiæ sensu bibimus! Et hoc nobis ad sanitatem sufficit. Oculis fidei & amoris videmus patientem pro nobis, & adhuc magis amantem quàm patientem: videmus, & sanamur.

Ecce dolores tui, etiam in delicias nostras conversi sunt. Ipsa tua curatio, non tantùm felix; sed reddit felices. Imputas nobis quòd sanasti nos; & merces ea, quæ maxima sananti debebatur, ægris, postquam sanati fuerint, redditur. Non ita Samaritanus. Mercede suâ Stabularius non est privatus: pecuniam illi largitus est, quia in curando

laboraverat ; sed nunquid saucio , quia sanatus fuerat ? Gaudentem & gratias agentem dimisit in domum suam ; sed nunquid heredem bonorum suorum constituit ; (quod nequidem somnium est ?) Num rex constitutus est , quòd sanari voluisset ?

Confiteamur hîc Domino , quoniam bonus , quoniam in seculum misericordia ejus. Tu remedium morbi nostri ; tu præmium sanitatis nostræ. Tu ipse sanas ; & ut sanari velimus , tu ipse præstas ; & tamen sic sanatis regnum , & regnum æternum , majus omnibus regnis , tanquam mercedem polliceris. Nam hæc Apostoli tui vox est : *Reddet mihi coronam justitia in illâ die justus Judex.* Domine , quod novum hoc remunerationis & justitiæ genus est , quam in sinu viscerum tuorum misericordia tua parturivit ! Sed planè justum est , Domine , ut ii vivant , & tecum regnent , pro quibus ideo mortuus es ut viverent & regnarent. Absit ut meritis careamus , aut simus injusti ; sed tu Justus noster , Justitia nostra , & meritum nostrum.

Miserere mei , Domine. Non sufficio , vel commemorandis tantùm magnis misericordiis tuis. Tacebam , illum qui tantam misericordiam Samaritani expertus est , nunquam læsisse Samaritanum ; ego

verò, pugnando adversum te, vulneratus sum. Ille in jumentum Samaritani impositus est; tu verò ovem perditam, aut potius inimicum tuum, alligatis vulneribus ejus, super humeros tuos ipse portasti. Parce, Domine, hoc dicenti: imò non parceres, nisi hoc diceremus & crederemus. Jumentum nostrum, Corpus tuum. Et nos & peccata nostra (onus non solum tam grave, sed etiam tam fœdum) ipse pertulisti in corpore tuo super lignum. Sed quanta est virtus patientiæ tuæ! Ecce, portando ægros, reddis sanos; & portando tam deformes, reddis pulchros. Caro tua, in quâ habitat plenitudo divinitatis, contactu suo nos immutat, Spiritu tuo jam immutatos.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, nisi ipsum Dominum meum? Ut pro tanto beneficio gratias agam, novum beneficium postulo. Hoc largire, ut semper me in latrones incidisse meminerim, nec alio me remedio quàm sanguine Filii tui potuisse sanari. Hoc si semper meminerim, gratus ero, nec amplius incidam in latrones. Amen.

II.

DOMINE Jesu, cujus misericordiæ, misericordia Samaritani tantum figura est: miserere periculosiorum vul-

nerum , & majorem adhibe medicinam majoribus morbis. Vulnera hæc mea , per quæ effluit sanguis animæ morientis , non fasciis medicorum , sed sapientiæ tuæ arte alligari oportet , *cujus vincula alligatura salutaris*. Non illa oleo & vino , sed sanguine tuo curanda sunt. Non jumento , sed omnipotentia carnis vivificatricis indigeo. Nullus tanto morbo stabularius sufficeret. Et ille quidem occurrit Samaritano ; nec illum in isto loco constituerat Samaritanus ; at stabularios , medicos nostros , sive pastores quibus commendamur , tibi debemus. Tales ipse finxisti , quales esse oportebat , secundos sub te salvatores.

Et hoc ergo beneficium tuum est ; sed quod inutile esset si recederes. Ii nempe duplex auxilium , idque perpetuum , à te requirunt : ut sani sint ipsi , & nos sanent. Si relinqueres , utrique periremus. Nemo sine te sanat ; nemo sine te sanus est. Utrisque , & sanantibus & iis qui sanantur , non aliquot denarios , sed regnum æternum polliceris , *cujus fide vivimus , cuius spe roboramur , cuius amore sanamur*. Da nobis igitur , ut nihil magis timeamus quàm vulnerari amplius ; cùm vulnerum nostrorum cura tam caro tibi constiterit , ut absque sanguine morientis sanari non potuerimus.

Verè

Verè Samaritane , qui vulneratum
in aulario committere voluisti ; da no-
bis Pastores secundùm cor tuum , qui
morbos tam graves animarum nostrarum
ex arte tuâ curent. Sed cùm eos dederis,
nec ipse recede sicut recessit Samarita-
nus ; quia sine te medici ipsi statim ægro-
tarent , & sine te ægri perirent.

Infunde vinum vulneribus nostris ,
quod vi suâ pungat ; ut à tanto stupore
excitati , timeamus te , & periculùm
nostrum fugiamus. Infunde oleum con-
solationis, laborem pœnitentiæ lenientis ;
ne nimiâ tristitiâ absorbeamur. Alliga
vulnera nostra , ne amplius serpent. In-
funde vinum , quod sensum excitet , ne
malis nostris obdormiamus ; infunde o-
leum quod leniat , ne desperemus.



SOLILOQUIA CONTRA PROPRIAM VOLUNTATEM

*Dicebat autem (Jesús) ad omnes: Si quis
vult venire post me, abneget semetip-
sum, &c. Luc. 9. 23.*

I.

**GEMITUS ANIMÆ ANXIÆ,
TOTAM SE ABNEGARE CUPIENTIS,**
ut tota Dei sit.

Pf. 22.
2.

MISERERE mei, Domine, ut tua
sim; quia perii, nisi tua sim. O me
miseram, quæ mei juris esse audeo, cum
tot titulis tua sim! Tua sum, Domine,
quia à te creata sum: tua sum, quia à te re-
dempta sum: tua sum, quia in mundo pe-
rituram liberasti à mundo, & *in loco pas-
cuae ibi me collocasti*, procul ab insidiis ini-
micorum meorum. Vindica tibi posses-
sionem tuam, quam pretio magno mise-
ricorditer emere voluisti. Non amplius
mea sim, toties tua. Libera me à peri-
culo furti nefarii, & sacrilegii infelicis;
ne rem Domini mei mihi tribuendo, im-
piè te ipsum amittam, & ipsa peream.
Quid enim sine te non perit; aut quid
tecum perire potest?

Nihil ergo in me sit quod non offeram

Domino meo , ut à me liberer. Quod fervatur , amittitur. Si nihil superesset quod non offerrem, nihil superesset quod noceret. Hinc ægroto , & hinc pereo , unde mea sum ; & id omne quod tuum non est , perire necesse est. O felix necessitas , quæ nos cogit esse tuos ! Cùm enim tui sumus , reges sumus ; & (quod omni regno majus est) diligis nos , & diligimus te. Heu me ! Quid tantum bonum prohibet , aut remoratur ? Nimirum adhuc aliquid in me est , quod tuum non est.

Adjuva me , Domine , ne primo & misero Regi populi tui Israël similis sim, qui de rebus Amalecitarum *quidquid vile fuit & reprobum occidebat*, servatis melioribus , quæ magis occidenda erant , ut ipse viveret , Deo suo obsecutus. Ecce , Domine , *corpus meum in servitutem redigo*, & fortè caro mortua est , nec valdè resistit vitæ meæ ; sed quid hoc prodest , si vivit in me voluntas mea , potens inimica salutis meæ. Væ filiis Adam ; nihil satis in nobis mortuum est , cùm id vivit unde morimur.

Benedictus Dominus , qui liberavit me à periculo mundi , & carnis meæ. Magnum certè beneficium , & quod sacrificium laudis æternum mereretur. Sed quid mihi noceret mundus ; aut quid no-

ceret caro mea, si mortua in me esset voluntas mea? Ad hoc valeat, mundum contemnere, & carnem subicere servituti Domini mei, ut meipsam contemnam. Moriar mundo; sed ut mihi moriar. Nam si adhuc mihi vivam; aut non sum mortua mundo, aut ex falsâ illâ morte vera mors emergit, & majus exitium animæ meæ.

Quid ramos amputare prodest, servatâ radice pestiferæ arboris, ex quâ rami adhuc frequentiores postea pullulabunt? Domine, quod in me magis odisti, & ipsa quoque magis oderim. Amor tuus, causa amoris mei: sit quoque odium tuum, regula odii mei. Nihil in me magis contrarium est sanctæ voluntati tuæ, quàm perversa voluntas mea. Væ nobis, quia Spiritui sancto resistimus; & infinitâ quâdam amentîâ, quod ipse non vis ipsi volumus, & quod vis hoc nolumus. Quod sapientissimo Domino placet, hoc ipsum stultissimo servo displicet, & quod improbas nos probamus.

Libera me, Domine, ab hoc voluntatis meæ opprobrio. Gloria mea sit exultare propter judicia tua, Domine, omnipotentissimæ voluntati tuæ in omnibus corde magno & animo volenti consentientem, liberanti me ab omnibus infir-

in tibus meis; quid enim eum vinceret, qui tibi, qui vinci non potes, jungeretur? Voluntate nostrâ tibi contradicente separamur à te, & superamur: voluntas tua victoria nostra est, & vita nostra est. Mortem, quam ipse non fecisti, in voluntate nostrâ invenimus. Si enim *vita in voluntate* tuâ, ut canit Psalter tuus; du-^{6.}bitari non potest quin mors in voluntate nostrâ sit, quæ voluntati tuæ opponitur.

Ps. 29.

Adjuva me igitur, Domine; & cor meum libera ab amore meiipsum, qui voluntatem meam miserè fovet, & ab eâ avelli non potest; ut plena alio spiritu, & alio amore, oderim me, & mihi contradicam. Quis enim resistet voluntati suæ, amans voluntatem suam? Quidquid amamus, non illi resistitur amando. Amor tuus utile odium visceribus meis inferat adversus meipsam, & luceat mihi tuo lumine; ut tandem agnoscam, quàm inimica sit mihi voluntas mea, quæ me privat omnibus bonis, separando me à Domino meo, & in abyssum omnium malorum penè infinitam ruentem immergit.

Quam bonus & misericors Dominus meus, qui sacrificium voluntatis tam inquinatæ & perditæ non respuit; & ultro suam offert, si meam deseram. Nunquid non ipse præcepisti per servum

- Exod. 22. 31. tuum Moyſen; *Carnem qua à beſtiis fuerit praeuſtata , non comedetis , ſed projicietis canibus.* Quid reſpondebo Domino meo, hoc olim populo ſuo præcipienti ; niſi quia *miferationes ejus ſuper omnia opera ejus?*
- Pſ. 144. 9. Voluntas draconis hæc eſt , ut faciam voluntatem meam , quâ me perituram , & quâ me perire intelligit. Nihil aliud vult *peſſimus iſte inimicus meus* , quàm ut faciam quod volo , & non avertamur à voluntate noſtrâ , quâ cum illo conjungimur. Ecce, Domine, voluntatem quæ illius fuit , tuam eſſe pateris , & tibi offerri mandato utiliſſimo nobis præcepiti.

Sed ſi infinita eſt miſericordia Domini mei , ſacrificium voluntatis non reſpue-
re , toties oblatae inimico ſuo , & ab eo corruptae ; quanta eſt duritia cordis mei, ne quidem largiri velle miſericordiſſimo Domino , & optimo patri id petenti in bonum meum , quod peſſimo inimico, in exitium animæ meæ largitus ſum! Etiam , Domine , offeram tibi hoc ſacrificium , ſine quo alia omnia ſacrificia placere non poſſunt. Apprehende dexteram meam , & leva me ſupra me , ut deferam me. Moriar mihi, ut vivam tibi ; oderim me , ut diligam te ; & non amplius mea ſim , ut tua ſim in æternum.

II.

SIBI OBEDIRE, CRUDELIS
& miserrima servitus : obedire
Deo , pax , libertas & omne bo-
num.

A voluntate tuâ avertere. Eccli. 18. 30.

DEUS , cujus omnipotentissimâ vo-
luntate creamur ; cujus misericor-
dissimâ voluntate salvamur ; & quo volen-
te sunt omnia quæcunque sunt : adjuva
me luctantem adversus volûtatem meam,
quam cum sequor , morior ; quam cum
incipio fugere , incipio vivere ; in cujus
verâ morte, vera & perfecta vita tantum
inveniri potest. Optima voluntas tua ,
pessimam voluntatem meam mutet &
sanet. Hoc unum illius remedium est.
Quandiu enim mea est , mala est , &
malus sum. Ut bonus sim , bonam illam
esse oportet ; & ut bona sit , necesse est
ut tua sit. Tua enim esse incipit , cum
voluntati tuæ subjicitur, à seipsâ aliena,
aut potius magis sua & sui juris , cum
tua est. Cum ergo jubes , Domine, ut à
voluntate nostrâ avertamur ; quid aliud
jubes, quàm ut à durissimâ servitutis in-
famiam abstracti, in admirabilem regni tui
libertatem & nobilitatem transeamus ?

O me hebetem & insanum ! Cum

abrenuncio voluntati meæ , non hoc tibi præstatur , sed mihi ; & tristis sum. Vix adduci possum , te hortante , & comminante ni faciam , ut bellum tam necessarium adversus meipsum suscipiam , sine quo nulla pax misero esse potest. A voluntate meâ invitus avertor , quasi à bono quod repugnantî auferretur ; & magnum aliquid fecisse videor , si minimam fortè ejus partem tibi obtulerò. Hoc mandatum tuum perinde audio ac si juberet , ut à ligno vitæ abstinerem , quod mihi & omnibus filiis Adam lignum est mortis.

O utilissimum & optimum mandatum Domini mei , quod mandatum vitæ verè dixerim , quo misericorditer prohibes ne moriamur. Non alimento , sed veneno privamur , quo nulla felicior jactura esse potest. Cùm jubes ut voluntatem nostram oderimus , jubes ægro- tantibus ut valeant , morientibus ut vivant , & miseris ut beati sint ; & hoc ipsum quod jubes , obsequentibus fan- ras , vita , & beatitudo est. Portum of- fers voluntatis tuæ placidissimum atque felicissimum , miserabile naufragium pa- tientibus , in quod à voluntate nostrâ omni vento atrocîus impellimur ; & no- vo quodam stultitiæ genere , portum omni studio fugimus , & tam acerbum

& deforme naufragium velut portum
gaudentes amplectimur.

Da nobis, Domine, illuminatos oculos cordis & oculos christianos, ut videamus *exterminium omne* quod nobis intulit, 1. Macc.
& *confusionem magnam, confusionem mortis* 7. 7. L. Reg.
quam fecit in domo tuâ. Si in tanto 5. 6. salutis nostræ periculo versamur infelices, inde periclitamur. Non alia est causa omnium malorum nostrorum, quàm voluntas nostra. Ipsa, oculis nostris cæcitas est, pedibus lapsus, menti error atque amentia, cordi naufragium, quod suis ipsum passionibus evertitur, quæ non aliunde quàm voluntatis vitio excitantur. Ipsa, morbus corporis, mors animæ, & totius hominis exitium, & pœna æterna, cùm ab ejus tyrannide misericordiâ tuâ non liberamur.

Domine, inimicus sim inimicæ meæ; & mihi non parcenti non parcam. Horream amorem noxium quo pereo, & salutari odio adversus meipsum insurgam, ut sequi possim Dominum meum. Voluntas propria te sequi non potest, cùm potius ipsa sequatur serpentem, cum illo & ab illo punienda in æternum. Quàm stulta est, Domine, sequendo captivantem, & non sequendo liberantem! Quàm stulta est, abrenunciando felicitati suæ, & non abrenunciando

Ifaï . 5.
 20.

miseriæ suæ , quam omni ex parte , sibi placendo, conquirat! Hoc verè proprium voluntati meæ , quod *ponat tenebras lucem & lucem tenebras*. Hoc illi proprium, quod dulce est fingere sibi amarum ; & quod tam amarum est , fingere sibi dulce, decepta ab inimico , & suiipsius perpetua quædam decepatrix , donec eam ponas ante oculos suos , ut sibi displicere possit , cùm illi intùs ostenderis quàm foeda sit. Fiat , fiat. Amen.

VOLUNTAS nostra , instrumentum est servitutis nostræ ; hanc faciendo vincimur , & jam non sumus nostri. At voluntate tuâ , Domine , salvamur : hæc libertas nostra : hæc victoria nostra. Eligamus ergo potiùs regnare feliciter , obediendo , quàm crudelibus & æternis inimicis miserè servire voluntatem nostram faciendo.

s. Aug. *Infelix ego homo ! Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Noverim , Domine , causam morbi mei , ut sanetur. Infelix ego. Nonne ideo infelix , quia ego. Libera me , Domine , à meipso , & sanus sum ; da mihi teipsum , & beatus sum. Libera me ab hac stultitiâ meâ , quâ quæro me , à quo mihi est omne malum , & non quæro te , à quo mihi est omne bonum. Deseram me , ne deseras me : ne me deseras , ut me deseram.*

ECCĒ, Domine, *inimicus meus utitur* S. Greg. Nazian.
meipso adversus meipsum. Volun-
 tas mea gladius illi est quo me interficit,
 animam occidens immortalem. *Eripe fra-* Ps. 16.
meam hanc ab inimicis manus tue. Volun- 13.
 tas mea redemptori meo serviat, non
 trucidatori. Da in animo meo constan-
 tiam, ut reddam illi quod meretur, ean-
 dem belli rationem initurus. Ipsa ejus
 nequitia in caput ejus convertatur. Da
 mihi, Domine, ut cum tentat, & ad-
 versum me insurgit, exinde humilior
 fiam; & sic suo ipse gladio vulnerabitur.

III.

CHRISTUS FACTUS OBEDIENS,
 in veræ & perfectæ abnegationis
 exemplum.

*Descendi de cœlo; non ut faciam voluntatem
 meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

Joan. 6. 38.

VÆ mihi, Domine. *Factus es obediens* Philipp.
usque ad mortem; & ego perversâ & 2. 8.
 infelici imitatione, obedio usque ad
 mortem animæ meæ. Obedisti Patri tuo,
 ut viverem; & ecce obedio inimicis
 tuis, ut moriar. O me miserum! Facio
 quod vult inimicus meus; & non facio
 quod vult Dominus meus. Dicit mi-
 hi Dominus meus, cujus voluntas fa-

Luc. 10.
28.

lus mea : *Hoc fac , & vives ; hoc fac , & amaberis ; & sanatus , mecum regnabis ; & tam stultus sum , ut non obediam. Hoc ipsum quod jubes , Domine , maximum mihi bonum est , etiam suavissimum audienti , & utilissimum obedienti , & facillimum non repugnanti ; & non obedio. Præmium polliceris , si obediam ; & præmium dignum majestate promittentis , & charitate infinitâ nos sanguine suo redimentis ; præmium majus omnibus regnis terrarum , quia regnum tuum est , & tu ipse es : & tamen tot vinculis charitatis quibus nos astringere voluisti , adduci non possum ut obediam. Parce mihi , Domine , quanquam tam abominandum scandalum omni veniâ indigum esse videatur ; sed libera me ab hoc scandalo , ut parcas jam poenitenti.*

Confitebor Domino meo stultitiam meam. Ecce venit inimicus tuus , atque
 Esth. 7. 6. *idem pessimus inimicus meus , cujus voluntas mors mea , & supplicium æternum ;*
 Job. 41. *cujus halitus prunas ardere facit ; cujus verba , putredo & vermis. Iste dicit mihi ;*
 12. *Induc te in laqueum acerbissimum , omnibus catenis ferreis graviolem , ut facilius te torqueam , & jam non repugnes crucianti te. O me plusquam insanum ! Carnifici meo libens ac volens acquiesco.*

qui nihil in me posset, nisi acquiescerem. Dicit mihi, Ascende in excelsam hanc trabem, & membra delicata extende in hac rotâ, mortalibus aculeis laceraturâ carnes tuas; & miser obedio. Crudelis affert calicem magnum Babylonis, plenum vino draconum & felle aspidum; Festina, inquit, & hauri integrum *usque* Isai. 51. *ad facies*: ne moram mihi facias in for- ^{17.} bendo; & nimis credulus, & nimis obediens festino in exitium, *velut si avis* Prov. 7. *festinet ad laqueum*, qui avibus longè to- ^{23.} lerabilior est quàm homini. O me infelicem! Qualia proponit præmia omnibus obtemperantibus sibi, factus illis causa mortis æternæ. Patere, inquit, hîc te torqueam, ut mecum in æternum torquearis. Hæc dicit carnifex meus, & si non verbis, hoc rebus ipsis dicit; & illum audio non invitus, & obedio volens nihil aliud præcipienti quàm poenas meas; quarum nullâ immanitate satiari potest.

Domine, illum audio, cùm me ipsum audio; & illi me obedire delectat, cùm me delectat facere quod mihi placet, & quod volo. Voluntas mea adversum me inimico meo assentitur, in quâ præsidium ille firmissimum constituit, arcemque inferni munitissimam; nec aliunde ita munitam, quàm viribus voluntatis meæ hostes tuos & meos protegen-

tis; arcem inexpugnabilem, nisi contrariis obedientiæ viribus expugnetur. A crudelitate hujus trucidatoris sola liberare potest gratia Salvatoris.

Adjuva me, Domine, in hoc bello. Quid mihi præsidii esse potest, nisi à te ipso; cum ipse pugnem adversum me? Erige me supra me; ut mihi adverfer, & vincam me. Nam quoad in me remaneo, mihi ipse faveo, & pereor. Domine, sine te amo me, licet in exitium meum. Quomodo igitur adversum me pugnabo, amando me? Nullus amor sibi contrarius esse potest. Qui amat, in quantum amat, non pugnat adversus eum quem amat. Libera me ergo à me ipso; & gratia tua, quæ omnia potest, reddat me ipsum à me ipso alienum; ut mihi sim infensus, & vincam me.

Tu, Domine, qui odisti iniquitatem, pugna adversus iniquum, & vince iniquitatem ejus; ut jam non fit iniquus, non consentiendo iniquitati, & ideo pugnet adversus iniquitatem suam à qua eum liberaveris. Etiam, Domine; libera me, ut vincam me; & obediam tibi, non obediendo voluntati meæ, quæ tibi contraria est. Da mihi victricem obedientiam, cui nullus resistere potest inimicus, quia tecum pugnat adversus inimicos suos, & de te pugnat, ut in te

vincat, & tu ipse sis præmium victoriæ, & corona vincentis, qui cum Patre & Spiritu &c.

DOMINE, qui non venisti facere voluntatem tuam, & qui non quæxivisti gloriam tuam: libera me à voluntate meâ, ex quâ perditio mea est; & à gloriâ meâ, quæ mihi confusionem adduceret sempiternam.

Vide Nil pejus amore p. 72.

SOLILOQUIUM.

SE SE COGITARE, INUTILE, imò & noxium: solus Deus cogitandus.

In omnibus viis tuis cogita illum. Prov. 3. 6.

CONFITEAR tibi, Domine, malum meum. Mihi omni ex parte occurro; & nobis semper ante oculos obversamur. Væ mihi; percipiendæ veritati nati, quæ nos liberaret, implemur nobis ipsis, qui exitio nobis sumus. Cùm de me cogito, nihil mihi prodest. Vel aurum hoc pessimum hujus sæculi, non cogitando sed laborando acquiritur. Tu ipse monuisti in Evangelio tuo: *Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam?* Matt. 6. 27. Inutilis ergo cogitatio nostra, nisi cogiteris. Augetur statura & virtus te

184 O R A T I O N E S
cogitantis; imminuitur seipsum cogitan-
tis.

En, in dies minor meipso fio, cum me-
ipsum curo superbâ sollicitudine. Si te
cogitarem, te invenirem. Invenio me,
qui cogito me: hinc pereo, qui salvarer
admisso remedio quod seipsum offert.
Illud cogitare, jam sanari est. Quid fa-
cilius remedio, aut præsentius, cujus
ipsa cogitatio vim habet salutis? Cum
te unum cogitamus, facile fiunt omnia.
Cum mentem nostram implet, opus no-
strum implet; & totum naturæ pondus
gratiâ potentiore sustentas. Ubicunque
mihi malè est, non placet immorari;
cur ergo meipsum non relinquo, qui
mihi sum oneri & exitio? Hoc tantum
cogitemus, unde salvamur. Omnem no-
stri memoriam abjiciamus, quâ inqui-
namur. Solus cogitetur, qui solus salvat.

Perditio mea ex me est. Pereat id in
mente meâ, per quod pereo. Nullum
foret peccatum, si nulla præcederet ma-
la cogitatio; sed nunquam reus essem
malæ cogitationis, si me omisso, nil
præter veritatem cogitarem. Nunquid
non prohibes ut non amemus nos? Cur
ergo cogitamus nos? Quæ stultitia est
tam libenter cogitare quod non liceat
amare, cum tam naturalis sit transitus
cogitationis in amorem? Aut amor est,

qui ipse cogitat ; aut succedet cogitationi aperiendi aditum cordis. Amove a me hoc periculum , Deus meus ; obliviscar me , ne amem me. Non me amem , ut te amem. Angustum est tibi omne cor meum. Quàm minor veritate tuâ omnis intellectus ! Quàm minor charitate tuâ omnis voluntas ! Cur dividam punctum , quod cum totum est , non sufficit.

SOLILOQUIUM.

SE AMARE , VERA STULTITIA.

Qui amat animam suam , perdet eam ; &c.

Joan. 12. 25.

CHARITAS tua , Domine , interpretetur præceptum tuum. Ideo iussisti ne amaremus nos , quia amas nos : magnum enim malum amamus , cum nos amamus. Prohibuisti amorem nostrum , quia prohibuisti homicidium ; & revera se occidit , qui se amat : nemo nobis nocentior quàm nos ipsi. Prohibuisti ne pessimum inimicum amaremus , qui tam propinquus est , ut sit intra nos ; & qui tam infidus est & ingratus , ut ad occidendum nullo alio telo utatur , quàm amore amantis. Amore tantum nostro , valere potest adversum nos inimicus noster. Vincimus illum non amando nos :

cùm à nobis amamur , ab illo vincimur.

Nobis ergo salutare est præceptum tuum , & grave tantùm esse debet adversario nostro , per quod vincitur. Conqueratur ille : nos gratulemur. Cùm dolet de salute nostrâ , gratias agamus redemptori nostro ; & gaudeamus prohiberi nos ab exilio , revocarique à præcipitio immani , in quod proni & jam labentes incumbēbamus. Benedictus Dominus , qui contrivit caput omnium inimicorum nostrorum in hoc verbo. Morbum gravissimum , qui futurus erat æternus , & mortem inferret æternam , jucundissimo & admirabili remedio sanat , dum amorem proprium utilissimâ lege removens , amorem tuum offers tam indignis , & ut audeant , jubes amari.

Cùm nihil sit deterius amore nostro ; nihilque melius amore tuo , sapienter & misericorditer summum bonum summi mali remedium esse voluisti ; ut duplici nos beneficio , eoque maximo obstringeres , malum nostrum excludendo , & bonum tuum infundendo , dum jubes ne à nobis amemur , & te amemus. Quàm infelix , qui se amat ut moriatur & qui te non amat ut vivat ! Nil amabilius vitâ : nil amabilius amore ipso quo amatur , quia ipsa est vita. Quamvis licuisset nobis frui nobis ipsis , non tamen

amandi fuiffemus : quamvis Deo frui non potuiffemus , tamen amandus erat. Quàm ftultus ergo , qui non amat tam magnum bonum , quo frui poſſet ſi amaret ; & qui amat tam parvum bonum , & tam nullum , quo frui non poteſt , & quod illi hoc amore in ſummum malum convertitur !

SOLILOQUIUM.

COGITARE ET AMARE , VITA
hominis & ſimilitudo cum Deo.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Gen. 1. 26.

FECISTI nos , Domine , ad imaginem & ſimilitudinem tuam , cùm mentem nobis ad cognoscendum veritatem , & voluntatem ad amandum tribuiſti. Sed vœ nobis , qui ſimilitudinem hanc peccando amiſimus. Quid enim prodeſt cogitare , cum cogitamus res vanas & falſas ? Quid prodeſt velle , cùm volumus quod tranſit , & quod mors eſt volentium , quo nihil infelicius ? Miſerere noſtri , Domine , miſerere noſtri. Redde imagini tuæ ſimilitudinem tuam , cùm ideo mortuus ſit Filius tuus , ut eam redderet formam , & characterem vitæ , quæ tot peccatis oblitterata eſt. Iterum ea

in corde nostro sanguis Filii tui inſcu-
pat in veritate & charitate. Non tantùm
cogitemus & amemus, quod naturæ
eſt; ſed nihil aliud quàm te cogitemus,
nihil aliud quàm te amemus, quod gra-
tia eſt, & imaginis tuæ ſimilitudo. Au-
fer à nobis amorem noſtrum, ne moria-
mur, nos amando; & da nobis amorem
tuum, ut de te vivamus, quia tantùm
vivunt, qui te amant. Cogitare & amare
vita hominis eſt; magna imago vitæ tuæ,
Deus meus; ſed diſſimilis, ſi de te non
vivimus, non cogitando aut amando te.

Amove à nobis opprobrium noſtrum.
Nihil enim aliud homini pudendum eſt,
quàm aliquid cogitare aut amare, quod
tu non es. Ne foras ergo vagetur moleſta
& infelix cogitatio; ſed intra fines veri-
tatis quæ omnia includit, & in ejus ſinu
beata ſubſiſtat. Cùm neceſſariò aman-
dum ſit, amemus non miſeriam noſtram
inſervitutem, quod mira & infelix ſtul-
ticia eſt; ſed beatitudinem noſtram,
quod ſapientia & libertas eſt. Quidquid
ſimus, quidquid agamus, quidquid patia-
mur, hoc ſimus, ut aliquid ſimus, hoc
tantùm cognoscendo & amando quod
verè eſt. Otium noſtrum, occupationes
noſtras, patientiam noſtram impleat ve-
ritas, ne aliquid tam nobis quàm tibi
pereat; impleat charitas, ut in te ſem-

per gaudeamus ; ut adhærentes Deo nostro , qui veritas & charitas est , unus simus cum eo spiritus , in laudem gloriæ gratiæ tuæ ; quia hoc consequi sola potest gratia , quam nemo mereri potest , nisi in dilecto Filio tuo , qui tecum vivit & regnat &c.

SOLILOQUIUM.

CONTRA NIMIAM AUT INORDINATAM
tristitiam.

Quæ secundum Deum tristitia est , pœnitentiam in salutem stabilem operatur : seculi autem tristitia mortem operatur. 2. Cor. 7. 10.

DOMINE , qui dixisti per Sapientem : Eccle. 2.
Risum reputavi errorem ; da nobis , ut ^{2.}
non minus errorem tristitiæ , quàm errorem risûs & lætitiæ fugiamus. Ridendi vim adversus peccatum non inseruisti , sicut inseruisti tristitiam ne peccaremus , aut ut peccata quorum rei sumus deleamus ; & tamen risum pro errore haberi voluisti. Quantò magis tristitiam nostram detestaris , cùm ipso peccati remedio utimur ad peccandum ; & inde tristes sumus quòd feceris sicut placuit tibi , & quod erat faciendum , cùm nihil fieri magis debeat , quàm quod sapientissimè judicas esse faciendam. Væ nobis , Domine , si inde ægrotemus unde sanari

nos oportebat. Si exultant filiae Judæ propter judicia tua, Domine, & hoc signo dignoscuntur; nonne metuendum ne coram te sint filiae Babylonis, quæ propter judicia tua lugent, & inde tristes sunt, unde Angeli gaudent, & unde gaudent ipsi quos lugemus?

Virgines, Domine, ipse Angelis in Evangelio comparasti: cur ergo gaudium & tristitia Virginum non similia sunt gaudio & tristitiæ Angelorum? Non nubimus sicut Angeli; ergo neque inhæreamus figuræ transeunti hujus mundi, sicut non inhærent Angeli; neque aliunde tristes simus, quàm ex iis quæ contristant Angelos. Amare fleamus; sed sicut Angeli pacis amare flere consueverunt. Nihil lugent præter peccatum; nihil quoque præter peccatum multum lugeamus. Absit ut inconsolabiles lacrymas fundamus, gaudentibus Angelis, cum proprias sedes apostatarum Angelorum, ruinâ tantâ ex parte desertas conspiciunt impleri. Miserere, Domine, filiarum Evæ quam nondum satis exuimus, & quæ exuenda est, ut filiae simus matris tuæ, quæ juxta crucem tuam, non jacens sicut ipsæ jacemus, sed stans sicut stare deberemus, passioni tuæ quæ propria ejus passio dici potest, patientissimè interfuit. Si flevit, (quod non refert E-

vangelium,) propter peccata flevit, non propter crucem quâ peccata debebantur.

Sponsæ imitentur matrem sponsi, quæ illarum etiam mater est. Absit ut talem matrem, absit ut spiritum tuum, fontem tristitiæ salutaris, infelici tristitiâ contristemus. Absit ut te sponsum Virginitum pulsantem ad ostium, severo & tristi vultu, verbisque, (ut nihil gravius dicam,) tristibus contumeliosè repellamus. Heu me! Quantas divitias infructuosis lacrymis perdimus! Hoc tanto luctu comparari poterat regnum Cælorum: hac tantâ tristitiâ inimicos nostros exarmare poteramus, quâ illos fortes adversum nos effecimus. Quàm vereor ne, cum moriendum erit, luctum nostrum lugeamus; & ne adversum nos stent lacrymæ nostræ, te exprobrante naturæ nos concessisse ac perversæ & puerili cuidam lugendi voluptati, quod tibi & salutis nostræ non concessimus.

Hoc nobis jam nunc ipsæ exprobremus, ne tunc à te tam justè exprobretur. Ignosce, Domine; mihi interdum audire te videor dicentem: *Voluntatem* Ps. 144. *timentium* me facio, & meam non faciam? ^{19.}

Voluntates vestræ, licet tam corruptæ & tam stultæ, inveniuntur in vobis, & patienter fero: voluntatem meam, sanctissimam ac sapientissimam impleo, &

vobis hoc displicet, & impatienter fertis; nec patientiam quam erga ingratos servos affert Dominus, eandem erga optimum & sapientissimum Dominum servare sustinent servi. Pudeat sponsas meas minùs fortes & justas videri, quàm Ethnicos, & mancipia Satanæ. Audite quid dicat unus ex illis: Externorum bonorum & in utendo moderationem, & in carendo patientiam semper expetendam putavi.

Senec.

Justus es, Domine; quidquid loqueris, & quidquid facis justum est; quia non solum justus, sed justitia ipsa es. Misericorditer accusas, ut non damnes. Benignè exprobras & paternè, ut nihil sit quod nobis exprobret inimicus. Etiam, Domine, reprehende me, ut laudem te; & laudem te, ut amem te. Placeat ancillæ Dominus suus, ut ancilla tua placere possit Domino suo, & confiteatur tibi, quidquid accidat, *Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Amen.

DOMINE Jesu, qui tristitiam ipse inter naturales affectus homini indidisti, quâ spiritu tuo excitatâ in nobis, peccata nostra delerentur; & tristis usque ad mortem esse voluisti, ut nos liberares ab omni tristitiâ quæ mortem operari potest: da nobis ut nunquam
inde

inde tristes sumus, unde honoraris, & unde lætaris; sed semper quidquid volumus ipsi metuendo & fugiendo, & quidquid vis approbando & laudando, omnem tristitiam naturæ in usum gratiæ convertamus.

LIBERA nos, Domine, à periculo noxiæ & stultæ tristitiæ, salutarem tristitiam excludentis, quæ moram exiliū nostri consolaretur. Gaudium tuum opponamus tristitiæ mundi; & minùs nos dejiciant mala tam levia & momentanea, quàm nos erigat & confoletur spes regni æterni.

O DOMINE, cur non tristis sum, qui malus sum, peccans quotidie in Dominum meum? Sed cur etiam non gaudeo, quia bonus es, & parcis tam misericorditer tam ingrato? Nunquam nisi de nobis, ob peccatum, contristemur: nunquam nisi de te, ob teipsum, lætemur.

SOLILOQUIUM

DE VERBIS VITÆ, ET DE VERBIS MORTIS:

Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 1. Reg. 3. 9.

O STULTUM populum Israël, qui dicebat ad Moysen, *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte* Exod. 20. 19.

moriāmur. Absit hoc à nobis, absit. Imò; Domine; non loquatur nobis homo, & nos ipsi non loquamur, ne moriamur; sed loquatur Dominus noster in corde nostro, & vivamus. Ecce, Domine, tam infirmi sumus, & mors tam vicina in hac tantâ ægitudine filiorum Adam, ut si fortè verbum aliquod minùs submissâ voce sed paulo contentiùs prolatum fuerit, in magno periculo mortis versemur; & nisi misereris, ex tam levi causâ moreremur. Nihil refert quàm levis sit causa, cùm tam magnus est morbus.

Sed vae nobis, Domine! Non timeamus morbum nostrum, & periculo nostro delectamur. Placet nobis stylus sonantioris eloquii, quia superbi sumus; & tempestate quâdam verborum vehementiùs infirmam animam concutientium, quam ipsi adversum nos excitavimus, mirificè delectati, in præceps rapimur; & ut nihil addi possit tam immani stultitiæ, cùm in nostro hoc naufragio perimus, gloriamur.

Miserere nostri, Domine. Rem manifestam negare non possumus. Sapientiores fuerunt Ægyptii, cùm in eos iram tuam effunderes, & plagis tuis, dignis magnitudine percutientis & tanto eorum stupore qui percutiebantur, attriti

peribant. Ipsi enim saltem perire se intellexerunt ; & cùm grandinem tuam pluebas habentem vim fulminis ad comminuendum , *Qui timuit verbum Domini* Exod. 9: 20.
de servis Pharaonis , fecit confugere servos suos & jumenta in domos. Prudentiùs egerunt illi cum servis suis & pecoribus suis, quàm nos cum animabus nostris. Nam si verbis interdùm grandioribus, & ad similitudinem grandinis densiùs & majori impetu fluentibus utendum sit , cur nos interim non abscondimus sub alis tuis , redeuntes ad cor, *sicut vir qui absconditur à vento , & celat se à tempestate.* Isai. 32. 3.

Non sic nos , non sic. Non tantùm eximus isto verborum grandine feriendi, sed nudatum pectus, & rejectâ loricâ fidei ne leviùs feriamur , periculo objicimus ; & cùm magis obruimur , tunc magis nobis placemus. Væ nobis. Cùm sub carnifice diabolo morimur , hoc gloriam insanâ & crudeli interpretatione arbitramur. Supplicium nostrum , nobis ornamentum est ; & cùm plures sunt gradus quibus patibulum altiùs conscenditur , honorificè nobiscum agi existimamus.

Libera nos , Domine , ab hoc vanitatis & stultitiæ nostræ opprobrio. Aperi oculos nostros ; aut potius excæca oculos carnis nostræ , oculos Adam , quibus semper decipimur, oculos somniantium.

seu veriùs oculos morientium, & quibus morimur. Da nobis oculos christianos ; & ut sint christiani , nihil aliud in rebus omnibus intueantur quàm Christum tuum , ut cognoscamus te , & cognoscamus nos. Contemnamus verba transeuntia ; ne ea amando, miserè cum illis transeamus. Non nos multùm delectet æs sonans aut cymbalum tinniens, quod nisi spiritu Filii tui impellatur , nobis cymbalum mortis est , & triumphus inimici, in miseris nostris & in cæcitate nostrâ exultantis.

Loquimur , Domine , & morimur : loqueris , & vivimus. Cur ergo non filemus , ut loquaris tu , qui ferè semper files cùm loquimur. Habes verba vitæ æternæ , quæ audientibus vitam infundunt. Apud te est fons verborum æternorum à verbo æterno fluentium , quæ qui audiunt fiunt æterni : apud nos verò fons est verborum lethalium , quæ mortem sæpe inferunt & loquenti & audienti. Obfigna, Domine, fontem hunc mortis christiano silentio, ut mors in sinu suo coercita , saltem non augeatur. Non enim se habet ut aqua fontium nostrorum , quæ augetur cùm non fluunt , & cùm multùm hauritur , minuitur. Nam quo latius fluit hic fons mortis , dici non potest quantùm augeatur ; sed quo

arctius continetur ut nihil ex eo effluat ,
eo magis minuitur.

Adhibe ergo custodem Angelum huius
fonti exitii mei ; & tu ipse custodi eum ,
ut minuatur aquæ mortis , & aliquan-
do desinant. Aperi verò fontem tuum ,
fontem aquæ vivæ , ex quo vivunt qui-
cunque vivunt. Hoc ipse docuisti nos ,
cùm dixisti per Prophetam tuum : *Omnis* Ezechi.
anima vivens , quocunque venerit torrens , 47. 9.
riveret. Rapiamur , Domine , hoc torrente
verborum viventium , qui antea torrente
verborum mortuorum rapiebamur.

O felices , qui sic fluminis impetu
lætificantis sanctos rapiuntur ad vitam ,
quia nullo impetu tentantis inimici ra-
pientur ad mortem ; cùm vita tua , Do-
mine , nostrâ morte sit fortior. Ædifica
mihi domunculam in ripâ torrentis hu-
jus , in blando illo & suavi murmure
aquæ salientis in vitam æternam , quod
silentii causa est. Lætificetur & confir-
metur cor meum. Maneam in verbo ma-
nente in æternum ; ut quamvis in per-
petuo fluxu sim mortalitatis hujus , ma-
neam ipse , non quia maneo , sed quia
manes. Amen.



ELEMOSYNA PAUPERIS.

Pl. 115.
3.

QUID retribuam Domino, pro omnibus
qua retribuit mihi? Calicem salutaris
accipiam. Sed quia nemo, Domine, potest
offerre Filium tuum, nisi etiam offerat &
seipsum, da mihi ut sumam de optimis
terræ meæ fructibus, quos in eam con-
tulisti nil merentem, ut tibi offeram;
pavendum enim esset mori & videre te,
antequam placassem te muneribus tuis.
Omnia nobis donas; sed aliquid tibi
donari vis. Nec calicem aquæ frigidæ
respis; sed respis ingratos & ab ele-
mosynâ tuâ alienos, qui ignem æternum
paratum esse dixisti nihil dantibus.

S. Hilar.

Ecce, Domine, propter te reliqui-
mus omnia, aut propter te ablata sunt.
Nunquid hæc dabimus, quæ amplius
non nostra sunt? Tu scis, Domine,
quod absque corporibus nihil habeamus.
De nobis igitur ipsis regnum cœlorum
promerendum est; nec aliud magis do-
num à nobis exigis, quàm nos ipsos. Da
nobis ergo ut exhibeamus tibi corpora
nostra hostiam viventem, sanctam, &
tibi placentem. Sed væ nobis; multa
donaveras quæ tibi donaremus, sed om-
nia peccato amissa sunt; scio enim quia
non habitat in me, hoc est in carne meâ,
bonum. Quid ergo offeram, nisi malum

meum? perficere enim bonum non in-
venio: Non indigeo sanguine taurorum;
nec tu ipse vis. Habeo in me quod occi- S. Aug.
dam. Sit eleemosyna mea, liberari à pas-
sionibus meis, & à lege peccati quæ mi-
litat in membris meis.

Si induam Dominum Jesum, ut non
inveniar nudus coram te, illum vestiero.
Si cibaveris me pane vitæ & intellectûs,
& manducavero carnem Filii hominis,
illum quoque cibavero; nec me genus
hoc eleemosynæ patietur ire in tenebras.
Verumtamen, est adhuc unde pascam
esurientem. Subtraham ab inimicis Do-
mini mei, quod dem Domino meo.
Venter meus, inimicus tuus; quia inimi-
cus est omnis justitiæ: negligam esurien-
tem, ut minus esurias; minus impleam,
ut magis implearis. Fragmen panis eruam
de ore bestię hujus, *Quomodo si eruat* Amos. 3.
22.
pastor de ore leonis duo crura, aut extremum
auricula. Nec fastidiet Dominus meus,
quia misericors est, quod est semicome-
sum à bestiâ; licet olim in veteri Testa- Exod.
22. 31.
mento prohibuerit populo suo ne quod
ab eâ captum esset comederet. Nec tan-
tùm de reliquiis cibi mei offeram Domi-
no meo, *primitias quasi de arâ & torculari,* Num.
18. 30.
sed & de reliquiis somni, qui magnam
partem furatur temporis, quod servitu-
rituæ debebatur. Pessimum hunc exa-

ctorem convertam in munus Dei, & in eleemosynam utilem animæ meæ.

Quàm jugum tuum suave est, Domine! & in veritate comperi, quia mandata tua gravia non sunt. Quidquid volens non videro propter amorem tuum, eleemosyna est. Si verbulum durius neglexero, sepiens aures meas spinis quibus coronatus est Dominus meus; aut si cunctis sermonibus qui dicuntur non accommoda vero cor meum, eleemosyna tua est. Si taceam mundo, loquens ad Dominum meum silentio humilitatis & voce patientiæ, eleemosynam hanc quoque accipis in odorem suavitatis. Si sedero solitarius, aut egredi prohibitus fuero vel ingredi, est quod dem Domino meo; & imputabit mihi etiam eleemosynam hanc, licet redditam in die angustiarum meæ, & profectam à necessitate temporum. Quodcunque damnum passus fuero, lucrum tuum est, aut potius lucrum meum, quia illud mihi acceptum feres. Etiam dolores infirmitatis mutas in eleemosynam charitatis; nec sine mercede morbi nostri sunt.

Si boni æmulatores fuerimus, quid nobis non erit loco eleemosynæ, cum paupertas ipsa, quæ minus apta videtur eleemosynæ, maxima eleemosyna sit, & quæ nulla tibi sit acceptior? Da nobis ergo, Domine, ut pauperibus quidem tuis

quântum poterimus misericordes , ex
 substantiâ nostrâ faciamus eleemosy-
 nam ; sed nunquam ipsi ab eleemosynâ
 tuâ cessemus ; ut quovis tempore , aut re-
 rum statu, munera nostra ad altare tuum
 offerentes , nunquam in conspectu tuo
 vacui appareamus. Per Dominum &c.

E L E E M O S Y N A H U M I L I S ,
 ex scientiâ veritatis ,

SEU AUTHOR IPSE , TALENTUM VERITATIS
 piè & humiliter reddens Domino suo.

D O M I N E , qui servum inutilem ^{Matt. 25.}
 damnasti, quòd non commisisset ^{24.}
 pecuniam tuam Numulariis ; miserere
 mei, quia in eâdem damnatione sum.
 Abiens fodi in terram , & abscondi pe-
 cuniam Domini mei, non humilitate la-
 tendi, sed negligentia non operandi. Ad-
 juva me , Domine , ut vel ferò poeni-
 teat me talenti perditì. Adhuc tempus
 est committendi pecuniam tuam Nu-
 mulariis, ut veniens recipias quod tuum
 est cum usurâ ; & tuum est , quidquid
 bonum est. Inveni bonos Numularios ;
 & scio quia quærunt lucrum Domini sui
 & prosperitatem Israël. Jube ut emen-
 dent talentum situ squallidum , & ope-
 rentur in eo lucrantes tibi; ne superscrip-
 tio , & imago tua oblitteretur amplius
 rubigine peccatorum meorum, sed splen-

descat in actionibus eorum. Ita nempe servos fideles laudabis ; & servum inutilem , qui damnandus fuisset , forsan absolves.

Etiam, Domine , pone rationem cum eis de talento , quia reddes eis coronam justitiæ ; sed noli mecum , quia damnares. Talentum enim aliud non lucratus sum , sed offero tibi quodcunque lucrabuntur. Sit lucrum meum , lucrum eorum ; ut non minùs læter in eis , quàm de me contrister. Heu me ! amisi incuriã meã quæcunque donaveras , & quæ valere potuissent ad remissionem peccatorum. Fodere jam non valeo , quia corpore infirmus sum ; & mendicare erubesco , adhuc animo infirmior , quia humilis non sum. Refrigescit in me charitas , quæ sola operiret multitudinem peccatorum. Hanc si haberem , dicerem audacter : scio quid faciam ; nam in eã salutis scientia est. Sed verè nihil scit , qui hanc nescit.

Quid ergo faciam , Domine , quia non vis mortem peccatoris ? Utinam haberem aliquid de bonis Domini mei , ut ea , mox cariturus , profunderem in servos tuos , qui me reciperent in domos suas. Sed planè inops sum paupertate virtutis , malè dives abundantia vitiorum. Ne quidem aurum & argentum

est mihi, quod dem tibi, subveniendo pauperi. Væ mihi tamen, si non fecero eleemosynam, quia absque salute est qui absque eleemosynâ est. Nil superest mihi præter talentum, quod lucro vacuus cogor numulariis committere.

Sed non celabo Dominum meum, quia ipsum talentum, quodcunque est, præterquam quod infossum est, etiam furatus sum; nec enim ad me pertinebat erogare pecuniam Domini mei. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, ut non tantum condones quod furatus sum, & quod infodi; sed, ampliorem largiendo gratiam, ipsum hoc talentum accipias pro eleemosynâ, quod restituendum est pro debito. Sit mea eleemosyna, talentum tuum; & quamvis apud me sterile remanserit, sic redundet in fructus piæ nundinationis, ut lauderis in donis tuis.

Da mihi ergo, Domine, facere parvulam eleemosynam ex qualicunque scientiâ veritatis; ut quæ scire donaveris, sine mihi vel duo minuta Viduæ, quæ mittam tremens in gazophylacium tuum. Sed mittam ut Vidua hæc; de penuriâ meâ mittam, nil me esse, & nil me scire cognoscens. Omnia quæ habuero mittam; ut de gratiâ tuâ, licet per me transeunte, nil manibus meis ad-

hærerè contingat. Et mittam totum victum meum; quod continget, si nulum alium cibum requiram præter verbum tuum, sed vivam de eo, nec aliunde vivam. Damnas enim pigrum servum, qui ad os suum applicat manum suam, bona dicens & mala faciens.

Utinam, Domine, tacerem. Sed si loquendum est; qui res ipsas velut fructus malè insumpsi, verba saltem velut folia reddam. Verbo. Aut taceam tibi, aut loquar tibi; veritatem nec commutans in mendacium, nec detinens in injuriâ, sed veritati reddens donum optimum, quod à te descendit. Etiam, Domine, sit mihi hæc eleemosyna. Si enim amicos qui nos recipiant in æterna tabernacula facere jubemur de mammonâ iniquitatis; quantò magis de intelligentiâ veritatis, ut nos docuerunt patres nostri servi tui? Si iniquitas benè dispensata vertitur in justitiam; quantò magis sermo divinus, qui omnis iniquitatis remedium est & causa innocentiae, justitiam potest conferre dispensanti?

Sed quia hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur; da mihi ut meminerim semper infidelitatis meae; malimque filere tutò quam periculose loqui. Etiam, Domine, mitte operarios in messem tuam, qui lucrentur tibi animas fratrum suorum; ut qui operarii

non sunt, ipsi animæ suæ detrimentum non patiantur, sed curent seipfos in nomine tuo, qui cum Patre, &c.

S O L I L O Q U I U M,
IN ACCEP T U M R A T I O N I S B E N E F I C I U M.

*Signatum est super nos lumen vultûs tui,
Domine. Ps. 4. 7.*

DEUS, in quem projectus sum ex Ps. 212. 11. utero; qui post vitam sensuum, parum distantem à vitâ belluarum, & quæ authorem suum agnoscere non poterat, vitam rationis largiris, religionis capacem, & non ignaram beneficiorum tuorum; infunde vitam fidei, cui ratio subfit, quæ malè regit nisi regatur; ne fortè periculosius ipsa erret ratio sine fide, quàm sensus sine ratione.

Magnum beneficium, Domine, quod vivam, creatus ex nihilo: sed majus adhuc beneficium, quòd jam mihi notum est cujus beneficio vivam. *Ecce fecisti nos, Ps. 99. 32. & non ipsi nos.* Quidquid video, opus est Dei mei, & prædicat Deum meum. Hoc scio, & hoc sciunt omnes qui utuntur lumine rationis. Nec vera est ratio, quæ hoc ignorat; sed extinctio rationis, opus peccatorum nostrorum. Non enim magis proprium est oculorum benevalen-

tium , videre lucem , quam rationis integræ , Deum nosse ex magnificentia operum suorum , quæ authorem suum clarâ voce naturæ confitentur. Hoc ejus testimonium audire , rationis est , quæ nec potest te nescire , nec potest plenè te scire.

Sed unde ratio , nisi à te , Domine , qui es fons & origo rationis , & ipsa ratio ? Tuum ergo beneficium est , quod jam ad te cognoscendum affurgimus. Ut nec ipsi fecimus nos , ita nec nobis ipsi hoc rationis lumen impertiti sumus , cujus usu inciperes cognosci à parvulis. Tuum est & hoc lumen ; quanquam ad luminare minus pertineat , quod præest nocti. Nam & lumen hoc , etiam in tenebris lucet ; & ejus participes sunt

Luc. 16. filii seculi hujus , quo ad majorem cæcitate
3. ratem miserè abutuntur.

Benedictus es , Domine , qui nobis hoc lumen , nec merentibus nec scientibus largitus es. Sed nobis non sufficit hoc lumen. Dedisti lumen oculorum , quibus coelum & terram videremus. Dedisti lumen rationis , quâ creatorem Cœli & Terræ utcunque agnoscere possemus ; sed quia hoc lumen , communi humani generis peccato in multis fere extinctum , & in omnibus ita imminutum & depravatum est , ut si solum sit , in

tenebras incurrat, quæ stultis pro luce sunt; da nobis lumen gratiæ tuæ, quo lumen naturalis rationis emendetur, & regatur. An adhuc parvulis lumen illud naturæ sufficiat, quod cum magni philosophi solum secuti sunt, turpiter lapsi, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt?

Da nobis, Domine, lumen vitæ, quo vivunt quicumque vivunt. Videamus; sed tantum ut vivamus, cognoscendo te & amando te. Quæ utilitas luminis mortui & morientium, cujus solo usu nemo ambulat in viis tuis? Quid nobis proderet lumen hoc tenebrosum rationis superbæ, quo non te sed nos ipsos quæreremus. Absit à nobis infelix ratio, quæ vitam fugeremus te fugiendo, & mortem nos ipsos inveniendo inveniremus. Sit nobis hæc ratio, nunquam obedire rationi præcepta tua contemneri. Non audienda ratio, quæ ad peccandum inducit aut favet peccato: nunquam illam audiamus, Domine, cum te non audit.

Sit nobis vera ratio, ad Dominum nostrum toto corde converti. Illam quæramus tantum in charitate tuâ, quæ nobis sola fons esse potest & origo rationis. Simus te amando sapientes; quia revera quicumque te non amant stulti sunt, & eo miserius stulti, quo in ipsâ cognitio-

ne sapientiæ, & cum ratione infaniunt. Ecce, Domine, à te admoniti, time-
mus rationem hanc, quâ decipiuntur &
pereunt sapientes sæculi hujus, qui do-
nis tuis adversum te pugnant ingrati.
Tua est ratio, Domine, qui summa ra-
tio es; rectè & ut oportet, absque au-
xilio tuo ratione uti non possumus. Re-
ge nos in hac novâ rationis viâ, quam, te
illuminante, ingredimur; ut nunquam
deserentes te, & lumen tuum sequentes,
ad patriam ipsius rationis, te duce,
perveniamus,

Sed ut sequamur te, sequamur duces
itineris, quos nobis misericorditer largi-
tus es. Sit nobis rationis initium, obe-
dire tutoribus & pastoribus nostris. Ip-
sos rege, ut regant nos. Audiant te, ut
illos audiamus, & rationi tuæ, obe-
diendo, assuescamus. Via fidei, via ra-
tionis. Ut in nobis adolescat, firma &
secura in teneris mentibus vestigia impri-
mendo, credamus quod jubes, & quod-
cunque credit Ecclesia, quæ filia rationis
cognominari potest, quia tibi obsequi-
tur; & mater rationis, quia nos docet.
Credamus quod credendum esse prædi-
cat, & vivamus ut credimus; quia in
illâ Christianæ fidei & morum Christia-
norum consensione, veram & perfectam
rationem inveniemus. Amen.

GRATIARUM ACTIONES.

In omnibus gratias agite. 1. Theff. 5. 18.

QUID retribuam tibi, Domine, pro omnibus gratiis quas largiris? Alleluia.

Pro omnibus iniquitatibus nostris quas dimittis. Alleluia.

Pro omnibus infirmitatibus & necessitatibus nostris quibus subvenis. Alleluia.

Pro innumerabilibus curationibus, si-
ve animarum si-ve corporum, si-ve ordi-
nariis si-ve extraordinariis, quas, homine
etiam ministrante, tu solus verè medi-
cus operaris & perficis. Alleluia.

Pro innumerabilibus aliis beneficiis,
beneficiis quotidianis, nocturnis & diur-
nis; privatis, domesticis, communibus,
& publicis. Alleluia.

Pro creatione nostrâ, & omnium re-
rum quæ nobis creatæ sunt, ut prodes-
sent nobis visu & usu, & præstarent
nobis utilitates, non solum temporales
sed æternas. Alleluia.

Pro redemptione, & modo redemp-
tionis, in sanguine Agni; mortuo Do-
mino, ut viverent servi. Alleluia.

Pro omnibus bonis & malis, quæ si-
ve nobis si-ve aliis contigerunt; quia omnia
facis propter electos, quibus omnia coo-
perantur in bonum. Alleluia.

Pro omnibus periculis & peccatis, in quæ te miserante non incidimus; quia sine te in ea incidissemus. Alleluia.

Pro omnibus talentis, sive naturæ sive gratiæ, quæ nobis licet indignis concessa sunt. Alleluia.

Pro singulari talento otii, quo plura alia talenta lucrari potuissemus in abscondito tabernaculi tui. Alleluia.

Pro tali præcepto, quo diligens jubes diligi, tam à magnis quàm à parvis. Alleluia.

Pro dilectione ipsâ, quam præcipis & infundis. Alleluia.

Pro tali remedio, quod servas ægris, ipse medicus & medicina; ipse sanans & præmium reddens; ipse remedium sanandorum & præmium sanatorum. Alleluia.

Pro quâcunque luce Ethnicorum Philosophiæ, quæ apud eos scintillare visa est; cui quoniam ingrati extiterunt, grati esse debemus; cum quidquid verè dicitur, per quemcunque, id ad utilitatem tuorum à te, ab ipsâ veritate dicatur. Alleluia.

Pro tali alimento, quod exhibes infirmis, nutriens nos Verbo & carne Verbi. Alleluia.

Pro tali Eucharistiâ, quam in Ecclesiâ tuâ perpetuam esse voluisti, ut gra-

tias semper agere possemus dignas Deo.

Alleluia.

Pro baptismo & pœnitiâ , quibus innocentia homini gratis redditur , aut amissa iterum baptismo lacrymarum reparatur.

Alleluia.

Pro omnibus aliis sacramentis , quæ de latere dormientis sponsi profluxerunt , ut semper possemus haurire aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.

Alleluia.

Pro tali Regno , quod polliceris indignis , cujus spe ac dilectione jam sanamur.

Alleluia.

Pro tali pignore talis Regni , quod præstantius est omnibus regnis , diffusâ gratiâ in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Alleluia.

Pro talibus divitiis bonitatis , & patientiæ & longanimitatis , expectantis & adducentis ad pœnitentiam non pœnitentes & ingratos.

Alleluia.

Pro tali corpore , & talibus membris , in quorum societatem vocamur , participes facti pinguedinis olivæ.

Alleluia.

Pro tali capite , cujus & ipsi membra sumus , concorporales Verbi.

Alleluia.

Pro tali misericordiâ , quâ ipsum patrem nostrum , per quem peccatum & mors in mundum intraverunt , etiam à delicto suo omnipotentissimâ gratiâ eduxisti.

Alleluia.

Pro Patriarchis , quibus ad consolationem exilii , & ad salutem promissus es. Alleluia.

Pro benedicto signo arcæ per quod facta est , adumbratione quâdam Crucis & Ecclesiæ , justitia ; ut relicto semine , humanum genus à tam certo naufragio servaretur. Alleluia.

Pro novis promissionibus Abrahæ factis ; in cujus semine , etiam antequam nasceremur , benedictæ sunt omnes gentes. Alleluia.

Pro luce Prophetarum , qui annuntiaverunt nobis dies istius & posterioris gloriæ , annuntiando adventum tuum. Alleluia.

Pro omnibus Sanctis veteris Testamenti , qui exultaverunt ut viderent diem tuum ; viderunt & gavisi sunt ; nomine Judæi , reipsa Christiani. Alleluia.

Pro aliis , qui extra populum Israël fide tuâ salvati sunt , quia tu Agnus , qui pro omnibus occisus es ab origine mundi. Alleluia.

Pro Apostolis & Evangelistis , in quorum fundamento constituti sumus , in ædificationem fidei , in ædificationem Corporis tui. Alleluia.

Pro victoriis Martyrum , quorum sanguinem , velut semen largitus es ex quo nasceremur , necessitate moriendi conver-

sa in gloriam triumphandi. Alleluia.

Pro tot Patribus Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, quos tanquam lucis columnas in templo æterno Ecclesiæ tuæ statuisti, ut perenni splendore, quamlibet noctem seculi superante, semper ad veram lucem revocaremur. Alleluia.

Pro palmis Virginum, quas nobis velut Angelos mortales in exemplum, & velut matres in solatium reliquisti. AL

Pro mirabili continentia, & sanctitate Monachorum & Eremitarum, qui utili exemplo, naturam vinci posse vincendo ipsi docuerunt. Alleluia.

Pro zelo Pastorum, quos Ecclesiæ tuæ velut alios Apostolos largitus es, qui nobis viverent; & pro nobis, si opus esset, morerentur, corpore & animo parati mori pro fratribus. Alleluia.

Pro Sanctis tuis, quos etiam in hoc nostro seculo nobis præcipuè nasci voluisti. Alleluia.

Pro vitâ omnium membrorum tuorum, quâ etiam juvamus ad vivendum; quoniam omnes nobis vivere voluisti, quicumque vivunt. Alleluia.

Pro persecutionibus, quibus crevit Ecclesia; quæ cum oportuit excitatæ, & cum oportuit, te jubente, sedatæ sunt. Alleluia.

Pro fumo putei abyssi, & variis erroribus hæreticorum, quibus ad emendan-

dam & erudiendam Ecclesiam sanctè
usus es ; ut mirabiliter vel ex tenebris
mortis lumen vitæ splendesceret. Al.

Pro necessario Ecclesiæ præsidio, fan-
ctissimis Conciliis ; in quibus , cùm ho-
mines tantùm deliberare viderentur, ve-
ritas ipsa , te præsentem, Ecclesiam doce-
bat & tuebatur. Alleluia.

Pro tot Canonibus , ad fulciendam
Ecclesiam spiritu Dei conditis, & totius
mundi reverentiâ consecratis ; quos se-
culi cæcitati & cupiditati , tanquam
splendidissimum & validissimum propu-
gnaculum opposuisti. Alleluia.

Pro ultimâ sponsæ tuæ victoriâ , quæ
ultimum inimicum , victa , illustrius
vincet ; quemadmodum tu plenè tùm
vicisti , cùm victus credereris. Alleluia.

Pro iudicio supremo, & adventu glo-
riæ tuæ , quem ut tanquam præsentissi-
mum solatium , & malorum omnium
levamen expectaremus imperasti. Al.

Quid ergo retribuam Domino , pro
omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem
salutaris accipiam , ut retribuam juxta
quod accepi , retribuens illi Christum
ejus ; & nomen Domini invocabo , quia
nihil illi gratius esse potest. Etiam, Do-
mine, esto Eucharistia nostra Patri tuo, &
Patri nostro , pro omnibus quæ retribuit
nobis , & deprecatio nostra pro omnibus
quæ desunt nobis. *Vide Si beneficiis. P. 75.*

P O S T U L A T I O N E S ,

ET INTERPELLATIONES, PRO ALIORUM SALUTE.

Obsecro , primùm omnium fieri obsecrationes , orationes , postulationes , pro omnibus hominibus. I. Tim. 2. 1.

FAc me , Domine, sollicitum semper in orationibus, pro innumerabilibus peccatis meis , & pro innumerabilibus beneficiis tuis , quorum pondere obrui me sentiam ; te tamen subleyante , ut in misericordiâ tuâ respirem.

Pro afflictis & captivis, ut semper abundant gaudio in omnibus tribulationibus suis; gaudentes quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati ; præliantes prælium tuum cum lætitiâ ; corpore & animo parati mori pro fratribus ; ascendentes ex adverso , & opponentes murum pro domo Israël ; & certantes usque ad mortem , instanter orando & humiliter patiendo , ut fructuosum sit illis & Ecclesiæ quodcumque patiuntur.

Pro ægris, & duros dolores patientibus; ut liberes eos , Deus Israël , ab omnibus tribulationibus suis , aut certè largiaris patientiam ; & ut ipsi confiteantur misericordias tuas magnas , & cantent in viis Domini , quoniam misericordia Domini in æternum.

Pro pauperibus & divitibus ; ut obviant sibi in viâ charitatis tuæ, mutuum sibi præstantes auxilium ; ita ut tamen divites intelligant & reipsa fateantur, magis se indigere auxilio pauperum, quàm pauperes suo ; cùm illis thesaurus ipse paupertatis & providentiæ tuæ abundè sufficere possit, ipsi autem pauperibus carere non possint. Aperi, Domine, oculos divitum, ut agnoscant periculum suum, & timeant ; ut ambulantes in miseriis suis, festinent ad requirendum auxilium pauperum ; & cito deponant onus quovis onere gravius, aut saltem partem divitiarum abscondant in sinu pauperum ; ne sub sarcinâ tam lethali in æternum obruantur. Aperi, Domine, oculos pauperum, ut felicitatem suam intelligant ; & glorientur in divitiis salutis suæ, gratias agentes super inenarrabili dono tuo, & omnem sollicitudinem ita in te projicientes, ut pro nihilo habeant falsorum bonorum indigentiam, ob verorum bonorum abundantiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.

Pro benefactoribus, consanguineis secundum carnem, ægris, sanis, vivis & defunctis, domesticis, notis, amicis & inimicis nostris.

Pro infidelibus, ut credant ; pro hæreticis

reticis, ut captivent intellectum in obsequium fidei.

Pro Schismaticis, ut sentiant quàm horrendum sit à te separari, & extra compagem membrorum tuorum membra mortua & putrida remanere sub potestate Diaboli; ut festinantes redeant ad unitatem veritatis.

Pro peccatoribus, ut convertantur.

Pro innocentibus, ut non cadant; sed qui justus est, justificetur adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc.

Pro iis qui ceciderunt, ut resurgant.

Pro pœnitentibus, ut sint verè pœnitentes, & non irridentes.

Pro virginibus sapientibus; ut tantò sint humiliores quantò sunt castiores; & maternam sollicitudinem gerant fatuarum, orantes pro eis, admonentes illas ac supportantes, & humiliantes se in conspectu tuo, quia eadem pœna conveniret, nisi gratia subveniret.

Et pro universo populo tuo Israël; custodi partem tuam, & sanctifica eam.

MISERERE civitatis sanctificationis tuæ Jerusalem, civitatis requiei tuæ. pro Ecclēsiâ. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloriâ tuâ populum tuum. Consolare, Domine, Jerusalem, consolare omnes ruinas ejus, & declina super eam quasi fluvium pacis, Sacerdotes tui induantur

justitiam, & sancti tui exultent. Inebria Sacerdotes tuos pinguedine; & bonis tuis populus tuus adimpleatur.

ADDUC sponfas tuas in montem sanctum tuum, & lætifica eas ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ pota eas. Inebria eas vino tuo germinante virgines. Ciba eas hereditate veri Jacob patris nostri & frumento electorum tuorum, ut tanquam stellæ suspensæ in firmamento Scripturarum, manentes in ordine & in cursu suo, pugnent adversus hostes Ecclesiæ, subvenientes ruinæ ante conspectum tuum.

Institue, Domine, in vallibus his convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Pone, Domine, desertum hoc quasi delicias, & solitudinem hanc quasi hortum Domini. Vox sponsi & vox sponsæ audiantur in eâ; gaudium & lætitia inveniantur in eâ; gratiarum actio, & vox laudis; ut sit ipsa plantatio Domini ad glorificandum, gemmans justitiam & laudem in omni tempore.

RECORDARE, Domine, Regis nostri, principum nostrorum, patrum nostrorum, fratrum nostrorum. Recordare domesticorum nostrorum, ægrorum nostrorum, pauperum & divitum, viduarum

& orphanorum, & omnium invocantium nomen tuum in omni loco ipsorum, & nostro.

Recordare Ecclesiæ quæ genuit me ; Ecclesiæ quæ educavit me ; Ecclesiæ quæ suscepit me ; & totius Ecclesiæ Gallicanæ.

Recordare tot Ecclesiarum sub Hæreticâ, sub Turcicâ & sub Ethnicâ dominatione gementium.

Recordare tot Ecclesiarum, ferè sui nihil amplius servantium, & quarum vix nomen aut vestigium superest.

Recordare tot Ecclesiarum Pastoribus carentium, aut lupos pro Pastoribus habentium.

Recordare tot Ecclesiarum Ægyptiarum, Africanarum & Asiaticarum, quæ amplius non sunt ; benedic saltem reliquiis tuis.

Recordare Ecclesiæ Græcæ, quæ duplici contritione contrita est.

Recordare Ecclesiæ Latinæ, quæ tot membris præmortua, plusquam dimidiâ sui parte privata est, in pluribus nec mœrens, nec sentiens.

Recordare fratrum nostrorum Judæorum, quos excæcavit infidelitas sua ; qui tamen præ nobis justificati sunt, quia nec ipsi gratiæ tuæ volumus esse subjecti.

Recordare Abraham, Isaac, & Jacob Patriarcharum, Prophetarum & fervorum tuorum fidelium; ex quibus Judæi, & ex quibus tu secundum carnem.

Recordare tot Patrum Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, qui verbum vitæ ministraverunt nobis ad gloriam tuam, magnificè tractantes Sapientiam, & glorificantes te in doctrinis.

Recordare tot Episcoporum, Pastorumque tuorum, qui in bonitate & alacritate animæ suæ placuerunt tibi pro Israël; qui in diebus peccatorum corroboraverunt pietatem, corroboraverunt Jacob, redimentes se in fide virtutis, & in tempore iracundiæ facti sunt reconciliatio; ut & nunc facias nobis secundum misericordias tuas antiquas, Amen; & provideas tibi viros secundum cor tuum, qui quærant prosperitatem Israël cunctis diebus vitæ suæ, lætificantes Jacob in operibus suis; qui æmulentur nos æmulatione tuâ, amantes animas, & diligentes decorem domus tuæ; qui teneant te, ne irascaris, interponentes sepe pro Israël.

DEUS Patris mei, & Matris meæ; Deus vivorum, & mortuorum qui victuri sunt, junge vivis mortuos; & congrega exercitus tuos in Cœlo ad defensionem Matris nostræ, parcendo defun-

ctis , convertendo peccatores , perficiendo justos , & breviando dies malos , ut salva sit omnis caro. Amen.

ANTE LECTIONEM
Scripturæ sacræ , aut pii alicujus
libri.

Ponite hac verba mea in cordibus & in animis vestris , &c. Deuter. II. 18.

ADaperi , Domine , cor nostrum in Lege tuâ , & in præceptis tuis , ut memores simus eorum ad faciendum ea. Audiam verba voluminis tui , & perterreatur cor meum ; & humilier coram Domino , & scindam vestimenta mea , & fleam coram te , tantum sollicitus ut custodiam ea quæ scripta sunt. In corde meo abscondam ea quasi fundamentum , ut non supplantentur gressus mei , & non peccem tibi ; conservans & conferens ea in corde meo , in domo meâ sedens , ambulans in itinere , nocte dormiens & manè consurgens. Quodcunque invenerim , comedam ; comedam volumen istud , & viscera mea compleantur illo , & sit in ore meo sicut mel dulce. Sint mihi verba tua in arma lucis , ut possim resistere in die malo , & in omnibus perfectus stare ; ad omne opus bo-

num instructus, in doctrinis glorificans te Dominum. Da mihi audire verbum tuum, intelligere, & fructum afferre regni tui. Da mihi pluviam voluntariam, rorem lucis, fructum lucis in omni bonitate & justitiâ & veritate; ut crescam in illo per omnia, qui est caput nostrum, veritatem faciens in charitate; & amor agnitæ veritatis ingeneret odium vanitatis. Dic animæ meæ: Salus tuâ ego sum; sed ita dic ut audiam, & saner à languoribus meis, habendo pacem bonam, suscipiendo veritatem. Videam, Domine, ut sequar te, gaudens & flens, ambulans, currens & non reperiens offendiculum, exiliens & laudans Deum, & cum magnâ voce magnificans eum; salus Deo nostro.

DA mihi, Domine, irriguum superius, & irriguum inferius; ut
 Jos. 15. cum sanctis mulieribus, terrâ arenâ non
 19. contentus, (scientiâ inflante & litterâ occidente,) semper requiram charitatem ædificantem & spiritum vivificantem. Infunde oleum lætitiæ, quo sit mihi lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis: infunde oleum lætitiæ, quo reddam creditori, per fructus dignos poenitiæ & charitatis, diligendo multum, ut mihi dimittatur mul-

tum ; & vivam de reliquo , in oratione fidei cum clamore cordis , in cibo voluntatis tuæ , in gaudio spei , & sacrificio laudis ; ut sit in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Infunde modicum olei quo ungar , ut sit paratum cor meum , Deus , paratum cor meum. Da quod jubes , & jube quod vis , ut id faciam in timore Domini fideliter , & corde perfecto atque mitissimo ; & ut sit jucunda decoraque laudatio in admiratione , etiam vivam ex imitatione. Da ut gaudens cum dignus habitus fuero pati aliquid pro nomine Christi , dormiens inter medios clericos , sint mihi pennæ columbæ deargentatæ , & posteriora dorsi in pallore auri ; ut requiescam in cavernâ maceriatæ , respiciens ad autorem fidei & consummatorem Jesum.

N UNQUAM contentus sim , Domine , litterâ occidente , sed semper requiram spiritum vivificantem , ut non moriar sed vivam. An doceret homo hominem , nisi utrumque doceres ! Taceat ergo qui loquitur ; taceam & ipse qui audio loquentem ; ut solus loquatur Dominus Jesus in corde meo verbum salutis. Tu *unus magister* noster. Congrega igitur cor meum in sanctitate tuâ , quia

Mat. 23.
8.

Eccli.
30. 24.

verè non audit unum nisi unus. Tu qui doces cor , fac illud unum , ut semper illud doceas , & ab eo abigatur quidquid obstreperet docenti & audienti , qui vis & regnas &c.

DA mihi , Domine , his litteris non solùm admoneri , ut te videam , sed etiam sanari , ut teneam. Legens hæc foris , & agnoscens intus , exclamem ad Dominum meum , ut non remaneam in me , sed rapiar ad te , qui loqueris mihi verba vitæ æternæ. Aperi etiam aures corporis mei , ut distinctè audiam ; sed longe amplius aperi alias aures , quæ pascantur verbo tuo , ut vivam. Voces istæ , postquam influxerint externis sensibus , influant etiam in cor meum , & mutant illud ; ut amet verbum vitæ , & illi subditum obediendo admiretur , adoret , & laudet , piè exultando de te , & humiliter tremendo de me ; ut postquam te invenero , non dimittam te , qui cum Patre &c.

SCRIPURA tua , Domine , cœlum est , & terræ paradifus. Largire nobis , ne quemadmodum Adam fructûs vetiti cupiditate , à paradiso expulsus est : ita & Filii Adam amore mundi oculos excæcante , ab hoc paradiso spi-

ritualium deliciarum excludantur.

Ipsam corticem Scripturarum tuarum, & ipsos apices venerer; & in iis adorem spiritum tuum. Sed non multum hæream in litterâ, nisi manifestè Christum prædicet, aut justitiam regni ejus. Si aliud sonet, quæram in ea sensum Christianum, sensum charitatis, ex quo vivat anima mea coram te. Hoc nos tuus Propheta docuit: *Pra fulgore in conspectu ejus nubes transierunt; grando, & carbones ignis.* Grando vim non habet aquæ, nisi calore solvatur; & carbones nigredine me inficient, non calefacient, nisi accendantur. Quæram ergo, Domine, spiritum tuum in Scripturis tuis; ut si quid in eis durum videtur instar grandinis, aut nigrum ob obscuritatem instar carbonis, revelato in eis Christo tuo, lavet me, & accendat me.

S. Clem.
Alexan.

POST LECTIONEM SACRAM.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Ps. 118. 11.

DOMINE, qui me participem fecisti legis tuæ, ut licet indignus & filius mortis audirem verba vitæ quæ procedunt de ore Domini mei; Da mihi iterum quod dedisti. Dedisti litteram da spiritum vivificantem; ne litte-

ra , si sola sit , occidat incautum. **D**edisti terram arenem : da & irriguam aquis. Da mihi scientiam salutis , ut me ipsum nesciam , & sciam Dominum meum quomodo sciendus es. Hæc verba vitæ , quæ mihi misericorditer largitus es , describe in memoriâ , adversus omnem oblivionem : describe in intellectu , adversus omnem errorem : describe in voluntate & in intimo cordis mei , adversus omnem iniquitatem ; ut nihil aliud volens quam quod jubes , utar verbis vitæ ad vivendum , & ad confitendum Domino meo , quoniam bonus , quoniam in seculum misericordia ejus.

ECCE , Domine , magnæ fuit misericordiæ , ut in terram tam sterilem spargeris semen tuum , quo indigna est. Sit potentia tuæ , ut fructum salutis ferat , & laudis tuæ. Qui omnia potes , jube ut quod seminatum est , mittat radicem deorsum , & faciat fructum sursum ; ut magis ac magis adolescat fructus charitatis , ex perpetuâ radice humilitatis.

DOCUISTI , Domine , imperitum ; roborâ infirmum , ut faciam quod jam scio esse faciendum , ne vapulem pluribus ; & cum fecerim , ex utroque hoc beneficio sim humilior ; & gratias

agam in gaudio Spiritûs sancti indefinentes.

F Ac me, Domine, auditorem verbi, factorem operis, & beatum in facto; ut attentè audiam docentem; sollicitè impleam omnia quæ docuisti; & cùm fecerim omnia, (quod adhuc magis necessarium est,) servum me credam inutilem, timens coram Domino meo, & in solâ ejus misericordiâ sperans omnibus diebus vitæ meæ.

D A mihi, Domine, charitatem veritatis, qui misericorditer aliquam ejus scientiam tribuisti. Veritas, quæ creavit coelum & terram, non sit apud me otiosa. Quæ liberat omnes quicumque liberantur, non sit apud me captiva, vanitati meæ aut aliis etiam vitiis meis miserabiliter serviens; ne eandem cum iis damnationem incurram, qui veritatem tuam in captivitate detinentes, non sicut Deum glorificaverunt, quem cognoscere potuerunt.

D EUS *illuminatio mea*, cujus lumine Ps. 29. 8. video cùm video; *præsta decori meo virtutem*; ut quod per te intelligo, per te impleam; ne superbus sim, tantùm intelligendo; aut ingratus inanisque, gratias non agendo. Tu *illuminatio mea*;

esto etiam *salus mea*, ut verba tua tremens audiam, gaudens impleam, & ea omni tempore cum timore & gaudio humilis adorem, quia sunt verba vitæ æternæ, & tu in eis es, & per ea venimus ad te, qui es vita æterna, cum Patre & Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

PRÆSTA mihi, Domine, ut licet peccator sim, non sim ex illis peccatoribus, quibus panis veritatis ita amarus est, ut inde os vera dicentis oderint; qui amant veritatem lucentem, oderunt redarguentem; qui amant eam cum seipsam indicat, oderunt cum eos ipsos indicat; quandiu enim blanditur iniquitas, amara est veritas. Circumcide ab omni temeritate omnique mendacio interiora & exteriora labia mea. Sint castæ deliciae meæ Scripturæ tuæ; nec fallar in eis, nec fallam ex eis.

Adhæresce medicamento tuo.
S. Aug.

VÆ nobis, Domine; audimus verba vitæ æternæ, & temporales sumus, & non vivimus. Non adhærescimus medicamento æterno, & cum mundo transeunte transimus. Servet nos verbum, quo creati sumus. Hæc verba, hoc gaudium, fide & spe & charitate medittemur; ut meditando vivamus; & non, illa somniando, moriamur.

ORATIONES

Studiis christianis præmittendæ.

Dirige me, Domine, in veritate tuâ, & doce me. Pf. 24. 5.

ROGO te, Veritas Deus meus, ut S. Aug.
 quæcunque salubriter scienda nescio, doceas me; in iis quæ vera novi, custodias me; in quibus ut homo fallor, corrigas me; in quibus veris titubo, confirmes me; & à falsis ac noxiis eripias me. O lumen veridicum, tibi admoveo cor meum, ne me vana doceat; portat enim copiosæ vanitatis catervas. Discute tenebras ejus, & da mihi, obsecro te per matrem charitatem, lucem veritatis, perfectricem charitatis; scientiam comitem charitatis, magiltram humilitatis; quæ, fugatis tenebris fumosarum cupiditatum, reddat me cupidum veritatis, non vanitatis conscium; quæ me bonæ spei hominem, non se jactantem, sed lamentantem faciat. Da quod amo, cognoscere Scripturas; amo enim, & hoc tu dedisti. Præside mihi, Deus meus, & rege me: tu pacas me; non error illudat. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas! serò te amavi, pulchritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi.

S. Aug. **VERITAS**, lumen cordis mei !
Non tenebræ meæ loquantur mihi;
tū mihi loquere solus, Domine Deus,
& fac me unum tecum in charitate per-
petuâ. Scio enim quia non intratur in
veritatem nisi per charitatem, per quam
pervenitur ad plenitudinem scientiæ. Sa-
gitta tu cor meum charitate tuâ, ut
gestem verba tua transfixa visceribus;
ut quæcunque judicia tua, quæ adhuc
cordi & corruptioni meæ dura sunt, quia
sana sunt, suavia sint menti & rationi
meæ, quia vera: amator enim veritatis,
suave clamat esse quod verum est. Fac,
Domine, ut inquisitor ardentissimus
veritatis, ad eam quæ ipso interiori ocu-
lo cernitur, celeriter curram ut christia-
nus. Da ut veritas pateat, veritas pla-
ceat, veritas moveat; ferveat amor ju-
stitiæ, odium iniquitatis; & ero piè
sciens, & scienter pius. Dirige me in ve-
ritate tuâ, & doce me; ut videam foeda
mea, & doleam; oderim me, & diligam
te; noverim me, & noverim te: infelix
enim homo qui scit multa, te autem ne-
scit; beatus autem qui te scit, etiamsi
illa multa nesciat. Qui verò te & illa
novit, non propter illa beatior, sed
propter te solùm beatus est, si cognoscens
te, sicut Deum glorificet, & gratias agat,
& non evanescat in cogitationibus suis.

DOCE me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu; ut hoc velim, quòd à te audiero. Accommoda per aurem os cordis mei; ut hauriam è Scripturis medicamentum quod parasti morbis animæ meæ. Nec quisquam enim præter te, Domine, alius est Doctor veri, ubicunque, & undecunque claruerit. Tu, Domine, qui Deus es docens utilia, da mihi non carnaliter sapere, sed studia sectari sine veri boni, non curiositate laudis humanæ. Tuere me à vino scientiæ secularis, quæ quidem inebriat, sed curiositate; implens, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non confortans. Largire doctrinam spiritus, quæ non curiositatem acuit, sed charitatem accendit; quæ habet, & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ; ut nec error locum habeat nec tepor; ne scientia dum novit & non diligit, inflet; ne pietas dum se extra rectitudinem inclinat, intorqueat; ne sensus mentem per inania ad nebulam erroris levet; ne ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & aperte divina Scriptura non subvenit, temerè hinc aliquid definire humana conjectura præsumat; sed dubia ut dubia relinquam, dum luce tuâ, clariora fiant; melius pu-

tans quaecumque verum, quàm quid-
quid pro libito fingi potest.

PRÆSTA, Domine, ut charitas tua
in nobis magis ac magis abundet in
scientiâ & in omni sensu; ut probemus
potiora, & simus sinceri & sine offensâ
in diem Christi, repleti fructu justitiæ
per Jesum Christum, in gloriam & lau-
dem tuam. Si enim magnitudine suâ
præcedit scientia magnitudinem chari-
tatis, non ædificat, sed inflat. Sit in me
Domine, charitas; & si necesse est, ple-
nitude scientiæ consequatur. Quia verò
scientiâ non inflari difficile est, cum &
ipsa rerum scientia sæpe cervicem eri-
gat, nisi dominico reprimatur jugo: tu
qui doces hominem scientiam, da nobis
sobriam sapientiam in poenitudine pec-
catorum præteritorum, in contemptu
præsentium commodorum, in desiderio
futurorum præmiorum. Aufer à nobis
scientiam mundi quæ docet vanitatem,
& scientiam carnis quæ docet volupta-
tem; & tribue scientiam Sanctorum,
quæ est, hîc temporaliter cruciari, &
delectari in æternum. Da ut quem sa-
pientia docet quid sit faciendum, conti-
nuò accendat charitas ad faciendum.
Da gratiam quæ facit prodesse doctri-
nam; quæ gratia si desit, videmus etiam
obesse doctrinam. Tu magister & Do-

minus, cujus schola est in terris, cathedra in cœlis; vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Fac magis amem discere quàm docere; ne ex eruditionis verbis, speciem benè viventis sumam. Defendat me veritas tua; non defenditur enim illa, sed defendit; non illa me, sed ego illâ indigeo.

O V E R I T A S, quæ tales quæsitores requiris, qui quærent te in spiritu & veritate! Ne frustra quæram te; fac ut quæram veraciter, quæram frequenter, quæram perseveranter; ut nec pro te quæram aliud, nec cum te aliud, nec à te ad aliud convertar. Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Aspice in me, & miserere mei. Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Da, si vis dare, & in hac vitâ, quod quæro; si autem non vis, tu esto vita mea, quam semper quæro. Oramus te, Domine, & postulamus, ut impleamur agnitione voluntatis tuæ, in omni sapientiâ & intellectu spirituali; ut ambulemus dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientiâ Dei.

L I B E R A me, Domine, à cogitationibus ineruditis, & scientiâ vanitatis, quæ me sterili cognitione & rebus ina-

nibus occupatum prohibent ne adipiscantur scientiam charitatis : cùm hæc sit scientia salutis ; illa verò scientia perditionis & via mortis æternæ.

Abfit à Christiano scientia vana & sterilis. Non cognoscamus, nisi ut amemus.

4. Reg. *Fiat in nobis duplex spiritus tuus ; ut pleni*
2.9. *luce veritatis , ardeamus igne charitatis.*

PRIÛS DISCERE A DEO,
& facere , quàm docere.

DE te nihil dicam , Domine , quod à te non didicerim. Sed cùm aliquid à te didicerim , id magis facere studeam , & inde te laudare , quàm docere alios : privati hominis orationem , utiliorem proximo quàm sermonem arbitratus.

Quod mihi largiri dignaberis ad scribendum vel dicendum , Domine , si aliquid scribere me vel dicere volueris , id mihi priùs largire ad meditandum humiliter. Et quod largiris ad meditandum , id adhuc magis largire ad cor meum afficiendum & nutriendum , ut aliquid vitale scribendo & dicendo , mutem ipse vitam , & abundantius vivam , ne me mori aliquando contingat.

TU qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas , ea scire priùs ampliusque cura,

*Quæ senseris viciniora saluti ; ut id prius quod
 vehementius ad salutem, id ardentius quod vehe-
 mentius ad amorem ; & ad hoc velis intelli-
 gere ut benè facias.*

O R A T I O

SANCTI THOMÆ AQUINATIS,
 Studiis, & præcipuis vitæ actio-
 nibus christianè dirigendis ap-
 tissima.

CONCEDE mihi, quæso, omnipo-
 tens & misericors Deus, quæ tibi
 placita sunt, ardentè concupiscere, pru-
 denter investigare, veraciter agnoscere,
 & perfectè adimplere.

Ad laudem & gloriam nominis tui or-
 dina statum meum : & quod à me re-
 quiris ut faciam, tribue ut sciam, pos-
 sim, & velim : & da exequi ut oportet,
 & expedit salutis animæ meæ.

Via mihi, quæso, ad te sit tuta, recta,
 & consummata, non deficiens inter pro-
 spera & adversa, ut in illis non extollar,
 & in istis non deprimar. In prosperis
 gratias tibi referam, & in adversis servem
 patientiam. De nullo gaudeam vel do-
 leam, nisi quod promoveat ad te, vel
 quod abducat à te. Nulli placere appe-
 tam, vel displicere pertimeam, nisi tibi.

Omnia in charitate da facere; & quod

ad cultum tuum non pertinet , qual
mortuum reputare. Actiones meas de
peragere non ex consuetudine , sed ad te
referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria prop-
ter te ; & chara mihi sint omnia tua , &
& tu, Deus meus, plusquam omnia. De-
lectet me omnis labor qui est pro te , &
tædiosa sit mihi omnis quies quæ non est
in te.

Da mihi , Domine , cor meum ad te
frequenter & ferventer dirigere , & de-
fectionem meam cum emendationis pro-
posito , dolendo pensare.

Fac me , Deus meus , humilem sine
fictione , hilarem sine dissolutione , tri-
stem sine dejectione , maturum sine tar-
ditate , agilem sine levitate , veracem
sine duplicitate , timentem sine despera-
tione , in te sperantem sine præsumptio-
ne , castum sine corruptione , obedien-
tem sine contradictione , patientem sine
murmuratione ; proximum corripere sine
indignatione , ipsumque ædificare verbo
& exemplo sine elatione.

Da mihi , Domine Jesu , cor pervigil
quod nulla à te abducat curiosa cogita-
tio : da immobile , quod nulla deorsum
trahat indigna affectio : da invictum , quod
nulla fatiget tribulatio : da liberum ,
quod nulla sibi vindicet violenta dele-

ratio : da rectum , quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi , Deus meus , intellectum te cognoscentem , diligentiam te quærentem , sapientiam te invenientem , conversationem tibi placentem , perseverantiam te dulciter & fiducialiter expectantem , fiduciam te feliciter amplectentem. Da tuis pœnis configi per pœnitentiam , tuis beneficiis in viâ uti per gratiam , & tandem tuis gaudiis in patriâ frui per gloriam , qui cum Patre & Spiritu sancto vivis &c.

O R A T I O N E S

A D S A N C T O S A N G E L O S.

Omnes sunt administratorii spiritus , in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis. Heb. 1. 14.

SA N C T I Angeli , qui videtis quod credimus , qui tenetis quod speramus , qui amatis quod amamus ; miseremini conservorum , sed inutilium , & (quod pejus est) in tam bonum Dominum peccantium. Amamus quidem quod amatis ; sed amamus & loquimur ut parvuli , amatis & loquimini ut adulti & Dei principes. Lingua vestra , amor vester ; qui nunquam deficit,

quia ex pleno fonte fluit, & nunquam aliò avertitur. Felices, qui tantùm amatis quod amandum est: nos miseri, qui tam multa alia amamus; & ideo aut non amamus, aut parum amamus. Vos in portu felices, quem nunquam deseruistis: nos in naufragio nati, ventis favientibus, in medio plurium naufragiorum volvitur; & creaturis omnibus, quæ Dei justitiæ serviunt, præsentem mortem intentantibus, tam stulti fumus ut benè nobis esse arbitremur; & nihil sæpius conquerimur, quàm cum spes adimitur majoris naufragii, quod inusitatâ infaniâ quærebamus.

Benedicti vos à Domino, qui periculum nostrum doletis, quod ipsi non dolemus. Benedicti, qui portum ostenditis & tabulam quam amplectamur; ut in proximum littus enatemus. Vos primum Ecclesiæ nascentis auxilium, cum adhuc pastoribus careret: Vos ultimum quoque auxilium senescentis, si fortè iisdem caritura est. Ministri Ecclesiæ aliquando illi deesse possunt; sed nunquam Angeli defunt; semper proximi orantibus, semper faventes orantibus, & ad orandum impellentes.

Vos paranymphii veritatis, & fideles ministri amoris æterni, quo sponsus cum sponsâ conjungitur. Cùm ascendit fumus

incensorum, de manibus vestris ascendit, teste Joanne; & ideo fortè ascendit, quia Apoc. 8: de manu Angelorum. De sinu vestro ca-⁴ lent orationes Sanctorum; & cum pro exulibus oratis, ardentius orant. Cum datæ sunt mulieri duæ alæ ut volaret in desertum, de vestris esse crediderim, aut saltem vobis ministrantibus allatas. Tot solitudines Ægypti & Syriæ, aliarumque mundi partium, manibus vestris rigatæ sunt. Vobis benigno halitu afflantibus, vernant flores Ecclesiæ; & Angelos immortales in terrâ inveniri, Angelorum cœli immortalium gaudium est. Non invidetis, sed amatis.

Negligentiæ nostræ opprobrium & dedecus, charitatis vestræ abundantiam, quantum fieri potest, emendatur. Tempora nostra, in quibus Rex noster adoratos expectat, vacua sunt hominibus, sed non vacua sunt Angelis. Perpetui divinæ Eucharistiæ adoratores, carnem de Virgine sumptam & ex primo creationis luto, carnem hominis sed Dei, cultu digno adorantibus & eo qui adoratur, dies & noctes reverentur. Verbum caro factum, in novo quodam præsepi & novis quidem fasciis, sed non minus velatum, cœlestibus aulicis cingitur. Verbum à quo creati sunt, non minus latens in altari quam in cœlo manife-

stum adorant. Dum caput nostrum ab infidelibus contemnitur, & à tepidis Christianis foedâ incuriâ negligitur, coram illo humiles Angeli tremunt, & verâ adoratione pœnam, quæ tam indignæ hominum deberetur adorationi, deprecantur.

Vos de cœlo humilitatis magistri, sub Christo omnis humilitatis & omnium humilium principe, docetis nos non altum sapere, ne cum desertoribus Angelis puniamur. Si illorum malitiâ cadimus, vestro auxilio & vestrâ curâ resurgimus. Amatis pœnitentiam, quâ non indigetis; & cum eâ indigerent pessimi spiritus, illam omni odio averfantur. Amatis pœnitentiam, quia amatis homines; & de illâ gaudetis in cœlo, ut de nobis gaudeatis, cum nos in societatem vestram adduxerit. Quid dignum poterit esse beneficiis vestris? Et quid vobis, aut quid Deo pro vobis retribuemus? Capiti nostro acceptum est, quod membris ejus impenditur; & hoc satis est Angelis, nihil præter Deum quem invenerunt quærentibus. In ministerium missi estis vobis gratissimum, propter eos qui hereditatem capient salutis; perficite opus vestrum, & adjuvate infirmitatem nostram.

Genes. 28. 12. Quare in scalâ Jacob descenderetis, nisi ut

ut vobiscum ascenderemus. Carnis nostræ sarcinam quâ deprimimur , reddite leviolem. Oderimus eam , ut amemus ; & amemus , ut cum capite nostro cruci confixa sit. Nulla caro vobis placet , carnis expertibus , si integra sit. In eâ tantùm amatis similitudinem carnis Christi ; & nisi ornamentis pœnitentiæ fulgeat , aut crucis gloriâ coronetur , à vobis contemnitur. Nos quoque in eundem contemptum adducite. Ut contemni desinat , contemnenda est. Lutum nostrum erubescamus , nisi Christi sanguine perfusum sit , & crucem germinet salvatricem. Carnis nostræ ignobilitas , ex societate animalium ; nobilitas ejus , ex sanguine Christi. Cruce illam nobilitemus , ut societate vestrâ , & hominis Dei consanguinitate digna sit.

Hærentes in hoc cœno , & illi turpiter fervientes trahite in libertatem filiorum Dei ; ut vobiscum etiam hîc Angeli esse incipiamus. Verumtamen luti nostri non omnino obliviscamur. Ab eo , & ab humilitate vestrâ discamus , quantùm nos humiles esse oporteat. Cùm sint tam humiles Angeli , erubescamus non esse humiles. Sed adhuc superiori magisterio indigemus. Deus humilis factus est ; erubescat homo esse superbus. Hoc nos docete ; hanc salutis viam nobis aperite

L

242 O R A T I O N E S
precibus vestris ; ut originis dignitate
inferiores , humilitate simus æquales.
Amen. Fiat , fiat.

AD SS. ANGELOS CUSTODES.

I.

*Mittam Angelum meum qui precedat te , &
custodiat in viâ. Exod. 23. 20.*

SANTI Angeli Custodes , qui semper
videtis faciem Patris nostri ; adjuva-
te nos , ut sentiamus quàm gravis sit
pœna hujus exilii , quo eandem faciem
videre prohibemur. Fide saltem , præsen-
tem ubique illius majestatem reverea-
mur & adoremus. Adorationis nostræ
balbutientem infantiam , adorationis ve-
stræ perfectio emendet & confoletur.
Gaudeamus , vos posse quod non possu-
mus ; & tanto securi præsidio , mundum
non formidemus insurgentem adversum
nos ; quia plures nobiscum sunt quàm
cum illo. Astutias Satanæ quas ignorare
non potestis , nec ipsi , vobis revelanti-
bus , ignoremus. Malignos spiritus , quos
in cœlo vicistis , nobiscum in terrâ vin-
cite ; & parvulos , ad victoriam cui assueti
estis , erudite.

Docete nos humilitatem & obedien-
tiam , quibus superbos & Deo non ac-
quiescentes de cœlo expulistis. Facite ut

erubescamus , cum jumentis partiri cibum terræ , quia panem angelicum , panem cœlestem fastidivimus. Erigite nos ad gustandum ut possumus , cibum illum invisibilem quo utimini. Panem nostrum quotidianum , quem vobiscum communem habemus , à Patre communi postulate nobis , nec illum postulare scientibus , quia tam Deo muti sumus quàm mundo loquaces. Orate ut silentium vestrum amemus , sine quo vobiscum conversari non possumus. Subtrahite nobis verba mortua , quibus non vivitur ; & linguæ in cœlo usitatæ rudimenta docete balbutientes infantulos , ut loquamur linguam matris nostræ Jerusalem , & audiamur.

Fidelium orationibus præestis ; excitate nos ad orandum ; & ut benè oremus , vobis ad hunc fontem vitæ nos impellentibus , semper oremus. Solitudinem æmulemur , in quâ semper degitis. Quantum fieri poterit , soli simus , ut vobiscum simus : & cum exiget conversationis humanæ necessitas , imitemur vos qui nobiscum estis in mundo , & procul estis à mundo. Quietis vestræ amantes reddamur , quæ robur vestrum est ; & quibuscunque negotiis implicari fugiamus , quæ ita charitatis otio contraria sunt , ut ea non exigat necessitas charita-

S. Aug.

tis. Sed in hoc etiam, exemplo vestro erudiamur; & servatâ inter agendum religionis modestiâ, sic incipiat esse actio, ut non desinat esse quies: ne pax nostra, quæ ab actione charitatis firmior & constantior redire debuerat, ipso actionis quæsitiæ strepitu & tumultu aut amittatur, aut certè minuatur.

Ut pacis filii primogeniti, estote nobis pacis doctores; & fraternam concordiam promovete, quos nobis Deus ut novum mutui amoris vinculum largitus est. Nec Deo, nobis tam necessariam & salutarem custodiam concedenti, nec ipsi custodiæ ingrati simus. Vobis & de vobis, Deo nobis gratiæ agenda sunt, & tanto utendum auxilio. Væ nobis si præsidium de cœlo, à quo omnis est fortitudo, neglexerimus. Cùm tempus est pacis, vobiscum lætemur; cùm tempus est belli, & milvus trepidantibus ingruit, sub umbrâ alarum vestrarum fugiamus clamantes: *Domini, invadit nos; ut pugnetis ipsi bella nostra, & Deo largiente victoriam superemus.*

Tob. 6.
3.

Omni verò tempore, nil sine magistrorum nostrorum consilio conemur, aut faciamus. Vos amici dulces, consilarii prudentes, auxiliarii fortes, Nullius nobis hominis amicitia sit suavior; nullius consilium ante vestrum requiramus; nul-

Ius auxilium præferamus auxilio quod nobis à Deo mittitur , & quo nullum aliud potentius esse fatendum est. Eas maximè virtutes æmulemur , quæ homines reddunt Angelis similiores. Virginitas, quæ natura vestra est, virtus nostra sit ; & nunquam nobis desit humile gaudium servatæ virginitatis , aut dolor amissæ. Spirituales oculos , qui nunquam in vobis clauduntur, frequentibus & majoribus vigiliis imitemur. Vilioris cibi necessitatem, quæ in vobis non reperitur , quotidiano jejunio ; aut saltem quotidianâ temperantiâ compensemus.

Eodem loco miseras & egentissimas divitias habeamus , quo vos eas habere cognoscimus ; & cùm hoc mundo non utamini , qui vobis indignus est , eo saltem utamur tanquam non utentes , ut vester Paulus , quia vestri etiam ordinis est , sæpius nos docuit. Docete nos plangitum & lacrymas , non solum doloris sed amoris, quas nobis invideretis si posset invideri tam amicis , & si possent invidere tam beati. Hoc uno fortè naturam vestram in hoc corpore mortis antecellimus , quòd pro gloriâ Dei vestri & Dei nostri aliquid pati possumus , quod non potestis. Satagite ut nullâ inimicorum nostrorum astutiâ aut vi hominum , gloria nostra evacuetur in hac parte.

In quovis loco , in quovis angulo , vobis reverentiam habeamus. Non audeamus vobis præsentibus , quod homine vidente non auderemus. Præsentia vestra excitet reverentiam; benevolentia devotionem ; custodia fiduciam. Hortamini & impellite ut ambulemus ; custodite ambulantes in viis nostris , & (quod nobis utilius erit) in viis vestris. Si quandò vires defecerint , quia infirmus sumus ; sicut vobis à Patre nostro injunctum est , portate nos in manibus vestris ; ne remanentes in viâ , tandem extra viam & procul à patriâ cum defertoribus Angelis (quod malorum omnium maximum est , & quod à nobis , Deo favente , vestra cura avertet) inveniamur.

II.

Angelis suis Deus mandavit de te , &c.

Pf. 90. 11.

SANCTI Angeli , quorum curæ committimur ; imitantes Deum vestrum , cujus miserationes super omnia opera ejus , miseremini & vos cæcitatæ nostræ , & infirmitatis nostræ. Cavete nobis pericula quæ aut non videmus , aut cavere non possumus ; à nobis ea propulsate , & ipsi propellite impetum inimicorum. Removete quæ à nobis lucem solis no-

stri abscondunt; & cum adhuc dies est, impellite ad ambulandum. Cùm via erit difficilior, & luto, aut aliis impedimentis, quæ parvuli superare non possunt, intercipietur; secundùm quod scriptum est, in manibus portate nos. Pl. 90.

Sedulò monete, ne moremur in omni circum regione periculosissimæ Babylo- Gen. 19.
16. nis; & si interdum pro stoliditate infantia dissimulemus, apprehendite manus nostras & cogite, ponentes nos extra regionem devorantem habitatores suos.

Unicuique nostrum salutare monitum & verba tam vitalia sæpissime inculcate: *Salva animam tuam*, & Christum identidem revocando in memoriam, *In monte salvum te fac, ne & tu pereas.* Ibid.

Nemo est cui sua cupiditas, si non refrenetur, tandem Sodoma esse non possit. Ingenerate salubre odium corporis, ut vitia luti nostri, quæ nec in Angelos desertores cadere possunt, humiliter erubescamus. Ab hac ignobilitate nostrâ erigite nos sensim ad virtutes ordinis vestri proprias, cui Deo miserante jungemur. A cogitatione nos cibi nostri avocate, ut tantùm de vestro cogitemus: hunc amemus, ut illum fastidiamus. Somnum quem nescitis timeamus; & vigilemus vobiscum, cùm nobis immineant hostes qui non dormiunt.

Docete nos rudimenta linguæ vestræ in scholâ silentii , ne amplius loquamur ut parvuli inutilia , ut homines mortalia , & ut vestri apostatæ , veritati aut charitati contraria. Conversationes fugiamus , quæ vos à nostrâ conversatione excluderent ; & non amemus conversari cum hominibus , ut vobiscum sæpius & familiariùs conversemur. Quidquid non timetis , non timeamus : quidquid non amatis , non amemus ; ut omnis timor sit peccatorum , & omnis amor , æternorum. Assumite nos ad societatem tristitiæ vestræ & gaudii vestri. Non fleamus , nisi ea quæ Angeli pacis flere possunt. Peccata hominum , & nostra , quæcunque Deo displicent & contristant Spiritum sanctum , unum sint argumentum tristitiæ nostræ. Vobiscum de nobis tristes , vobiscum in Domino gaudentes , vobiscum etiam gaudeamus vel super uno peccatore pœnitentiam agente ; ut unum cœli & terræ gaudium esse incipiat.

Ministri Dei , qui facitis voluntatem ejus , avertite nos à voluntate nostrâ ; & cùm gloria vestra & securitas vestra in obediendo sit , nullum nobis esse periculum & nullam infamiam , nisi non obediendi , existimemus. Homines superbos , humiles Angeli humilitatem doceant , ob tantam humilitatem capitis

nostri adhuc magis, si dici potest, necessariam. Qui veritatis splendore vobis tam vicinæ lucetis, qui charitatis ardore inflammamini, vescamur & nos de micis cadentibus de mensâ Dominorum nostrorum, ne fame moriamur deficientes in viâ.

III.

SANCTI Angeli Custodes, conservi nostri, & in ministerium missi propter nos, qui semper videtis faciem Patris nostri à quo miserè exulamur, & cibo invisibili utimini quo indigemus; de micis beatissimi panis vestri, Deo vestro vobis annuente, sustentate imbecilles, & oculos nostros semper errantes dirigite à falsis ad vera, ab externis ad intima, ab infimis ad summa, & à laboriosis ad quietia; ut incipientes intrare in gaudium Domini nostri, quod est fortitudo nostra, & providendo illum in conspectu nostro semper, audientes quid loquatur in nobis, falso & periculoso gaudio mundi, carnis nostræ, & voluntatis nostræ avidè abrenuntiemus. Amen.

AD ANGELUM CUSTODEM.

AVE, Angele Custos, gratiâ Dei plene, quæ nec in te, nec in tuis irrita fuit. Adjuva me in resarciendâ ja-

cturâ amissæ gratiæ, quam vos non amissistis. Misere tantæ infirmitatis & ignorantæ. Dux viæ, doce imperitum, impelle morantem, confirma dubium, accende tepidum, porta deficientem; adjuva ut contemnam quod video, & credendo sperem atque amem quod vides, tecum visurus Deum Deorum in Sion, Salvatoris gratiâ quem nobiscum adoras. Amen.

AD ANGELUM,
Qui apparuit Manue.

Judic. 13.

SANCTE Angele, qui cum Manue & uxori ejus holocaustum Domino offerri jussisses, in flammâ ignis in cœlum ascendisti, ut doceres nos quomodo illuc ascendi oporteret: hoc hortare nos, & Deum roga, ut cordis integri holocaustum Domino offeramus; quia cum toto corde diligitur, in cœlum semper ascenditur.

AD SERAPHIM,
Qui calculo tetigit labia Isaïæ.

Isai. 6. 7.

O Seraphim, qui sancto igne labia Prophetæ purgavisti, ora Dominum tuum, ut igne charitatis labia nostra purgentur. Nam si non amamus; s-

ve taceamus, sive loquamur, labia nostra immunda sunt. Si amemus; sive loquamur, sive taceamus, jam munda sunt.

AD ANGELUM,
Qui loquebatur in Zachariâ.

ZAC. 4. 1.

SANCTE Angele, qui loquebaris in Zachariâ, loquere in me, ut audiam Deum meum. Aures claude quibus auditur mundus, ut aperiantur aures quibus auditur sponsus. Loquere, non quia audio, sicut Zacharias qui silentio Dei delectabatur, sed ut audiam nihil aliud audiens. Verba quæ loqueris amorem silentii ingenerabunt; & loquente in me Angelo Dei mei, verba mea & verba hominum in conspectu meo sordescunt. Etiam, Domine; timeam loqui linguâ hominum, ut loqui incipiam linguâ Angelorum, quam nemo discere potest, nisi silendo.

Sancte Angele, qui Zachariam suscitasti, quasi virum qui suscitatur de somno suo; suscita me somno periculosiori sopitum. Et illum quidem suscitabas, ut mysteria Dei cerneret conscius futurorum: me vero suscitari opus est, ne moriar. Circuit inimicus quærens quem devoret. Si dormiam, non vivam. Vigilem adversus semper vigilantem

inimicum. Meminerim, te suggerente, tempore hoc belli & pugnae non esse segniter quiescendum. Quies tantum secura post victoriam; si antea quiescimus, vincimur. Suscita me ut induam arma lucis adversus principem tenebrarum. Suscita me, ut nihil aliud timens, timeam tantum sponso displicere, cui placere, vincere est. Suscita me, ne fide minus vigilante, Christus in corde meo dormiat. Suscita me, ut communem Dominum tecum laudem, quem semper laudas, & quem nos laudando nunquam vincimur.

AD ANGELUM

Quem vidit Ezechiel signantem
Thau super frontes gementium &c.

Ezech. 9. 4.

O ANGELUM amicum poenitentiae! cujus ministerio salvati sunt qui gemebant; impetra mihi hunc gemendi affectum. Signa *T* super frontem meam. Vae mihi; non enim salutare hoc signum imprimebas ut gernerent, sed quia gemebant. Verumtamen quia bonus est Dominus tuus, & miserationes ejus super omnia opera ejus; pete ab eo in gratiam peccatorum, ut prima haec conditio signi mutetur; sitque non so-

lùm præmium gementium , sed causa gemendi. Signum istud crucis, potentius esse debet , postquam crucifixus est Dominus Jesus. Sumat efficaciam à sanguine agni. Quod ab ipso significatur , etiam impleat ; ut significet gementes , & faciat gementes.

Sed memineris , Angele sancte , nihil esse durius fronte peccatoris. Iterum atque iterum signa. Totam frontem distingue vestigiis salutaris Sacramenti , ut nunquam nisi mundum erubescam. Non pingatur felix signum , nam colores faciliùs eluuntur ; sed insculpatur. Tam altè imprimatur vulnus quod sit causa sanitatis , ut nec miserè sanetur in morbum , nec unquam cicatrix obducatur. Tam profundum sit , ut cor ipsum penetretur. Nam si cor integrum remaneat & liberum à salutari compunctione , non sum amplius ipse integer ; liber non sum amplius : & perire necesse est non amantem. Noli cessare : unicum *T* ei sufficere non potest , qui sibi gemere debet & fratribus ; qui gemere debet ipsi Ecclesiæ , cui non tantùm lacrymas meas debeo , sed meipsum. Gemam mihi , gemam meis , gemam alienis , si quid alienum est à discipulis Christi , qui pro omnibus mortuus est , ut omnes ad eum pertinerent. Gemam , quia tam pauci

funt qui gemant. Gemam, quia non gemo; & ut gemam. Si sunt qui gemant; lacrymas mutuâ charitate lacrymis jungamus. Si defunt, adhuc dolentiùs gemendum est; ut lacrymæ non solum ex meis, sed etiam ex aliorum oculis eliciantur. Si posses aliquid invidere tam miseris ipse tam felix, nobis certè lacrymas invideres. Hoc uno superamus fortè felicissimam conditionem tuam, quod flere non potes, nobis flentibus; beatus quidem, sed sine cruce & sine lacrymis, in quibus præcipuum est Christianorum decus & ornamentum.

O felices nos, si Christo compateremur patienti! sed quid infelicius, quibus tot causæ doloris suppetunt, dolentibus tam sæpè, & dolorem suum perdentibus. FLEMUS corpori, naturæ, cognatis; & non flemus nobis ipsis. Cum veræ non sint miseræ quas tam facilè deflemus; quid dicam, nisi flere nos mundo, ut miseri simus; & incredibili dementia, non flere Christo, ut simus felices? Lacrymæ steriles & noxiæ, æterno supplicio puniuntur; & profluunt. Lacrymæ pœnitentiæ sanatrices, lacrymæ charitatis quæ jam sanorum sunt, æterno regno remunerantur; & sicci sunt oculi. Si quid potes, (& multum potes, quia nihil posse vis nisi in Deo,) adju-

va infirmitatem meam. Prohibe gemitus homicidas. Nec pericula, nec damna gemam, nisi æterna. Nimum fieri non potest, quod non potest satis fieri. Nihil aliud fleam, ut flere possim uberiorius totum Adam, omnesque qui pereunt, & qui pereundo lætantur.

A D A N G E L U M

Resurrectionis Christi nuntium.

Angelus Domini descendit de cælo, & dixit mulieribus: Surrexit, &c. Mat. 28. 2.

O ANGELE Sancte, prædicator Resurrectionis, & Evangelista mulierum; ne despicias virginem tuâ ope & auxilio indigentem. Naturæ tuæ propior videri possem, quia virgo sum, quod illæ non fuerunt; sed absit ut virgo minus devota, mulieribus se anteponat humilius & ardentius quærentibus Christum. Cedo pietati sanctarum mulierum; quin illas tecum adjutrices exoptem. Et ad me missus es, quia providentiâ & consilio Dei reguntur etiam quæ fortuito contingunt. Obtigisti quidem nescienti, ipse non nescius; sed jam ades & optanti, & de te in Christo gaudenti.

Moneat me juvenus illa, cujus speciem & formam induisti ut appareres

mulieribus, deponendam mihi esse senectutem & formam veteris hominis, ut induam novum. Moneat me fulgentissimus decor vestis tuæ, quoniam esse debeat fulgor vestis nuptialis; quæ si desit, nec virgines ipsæ sponsæ sunt. Heu! consolatur me vestis tua, cum forte ob meam contristeris. Verumtamen, quia mihi de me placere non possum defectu virtutis, placebo mihi de donis Domini mei in Angelo ejus; & gratulabor sanctitati tuæ, quamvis non sancta. Admiratio lucis tuæ, quæ totus fulges ut vicinior sedis Agni, emendabit forsitan tenebras istas quibus circumfundimur.

Vos Cœli Virgines; & nos terræ Angeli dicimur. Atque utinam excellentiorem illam virginitatem imitemur, quæ eximiâ humilitate reverentissima, & ardenti charitate obsequentissima, admiratur scabellum pedum Domini mei, & Verbo incarnato continuâ adoratione prosternitur. Vereor ne nobis dicere non possis; *Jesum quæritis crucifixum*. An illum quæramus, tu melius scis, ipsæ nescimus. Sed dic veriùs: *Jesum quærite, quærite crucifixum*. Malitia diei reddit obliviosas, & gravissimo Adæ jugo usque ad terram dejicimur; perpetuo monitore indigemus quo

erigamur. Hortare ad quærendum ; & cum videris aliud agentes , aut non satis intelligentes periculum nostrum , & otiosas , interroga nos , an quæramus Jesum?

Cum videris nugarum studiosas & nocentissimarum commoditatum ; pete an quæramus crucifixum , ut erubescamus ; & saltem utili pudore eruditæ , negligentiam emendemus. Si desinas monere ; aliquid est in nobis quod salutis nostræ inimicum est , quo semper à Christo & à cruce ejus avocemur. Apostatæ Angeli , qui vobiscum in veritate non steterunt , perpetuò impellunt ad quærendum mendacium , quo perditum delectantur. Iterum vince illos in nobis ; & dic , nisi moneres aberraturis , *Ut quid diligitis vanitatem , & queritis mendacium ?* ut non quærat mendacium , quærite Jesum. Sed quia malè quæri potest ; si senseris nos errore aliquo labi , & Jesum quære in viâ fortè alienâ , in quâ non inveniremus , statim inclama : *Non est hic.*

Falluntur sensus , & fallunt. Cæcus amor sui , imponit etiam nescientibus ; & contempto mundo , adhuc in iis quæ mundi sunt miserè interdum acquiescimus. Admone periculi ; & sonet vox tua hæc in auribus nostris : Cavete , *non est hic.* Ne quidem per momentum in eo

loco velim consistere vel leviter pedem ponere, ubi non est Jesus, vita animæ meæ. Fugiam tanquam à facie colubri, cum primum à te audiero: *Non est hic*. Neces- saria primum scientia quærentibus, sci- re ubi non est. Tu scis, Domine, ubi est, quia in te est beando te, & ipse in illo es glorificando illum, & adorando. Non potest ergo te latere ubi non est, sciendo ubi est. Doce hoc imperitam. Apprehende manum titubantis, & diri- ge gressus parvulæ quærentis sponsum.

Dic mihi sæpius: *Non est in cogita- tionibus tuis; non enim cogitationes meæ, cogitationes vestra, dicit Dominus. Cum sit vita in voluntate ejus; quid aliud sequitur, quàm esse mortem in voluntate tuâ? Optimè mones. Ne ergo aliquid velim, quod ipsa velim non illud ope- rante spiritu Jesu ut velim, oppone te voluntati meæ, & dic: Non est hic. Scio ipsa, quia non est in carne meâ; quia non*

Isaï. 55. 8. Pl. 29. 6. Rom. 7. 18. *habitat in carne meâ bonum, nisi fortè pa- teretur, & mortificationem Jesu cir- cumferrem in corpore meo; quanquam nec tunc quærendus esset in carne pecca- trice, quæ aggravat animam; sed in car- ne Jesu salvatrice & vivificante mortuos, quæ multùm quærentem adjuvat; & in fortitudine cibi illius pervenitur usque ad montem Dei.*

Totam me ergo transeam, ad vocem in-
 clamantis: *Non est hîc*. Transeam quid-
 quid sum; ut perveniam ad quod non
 sum. Transcendam mundum, & meip-
 sam, & omnes sensus meos, te ad sin-
 gulos gressus contestante: *Non est hîc*; ne
 fortè hæream in viâ, & non perveniam
 ad patriam; quia ubi hæreo, ibi deficio.
 O fidum monitorem! transcendam me,
 & attingam illum; & ibi segura hæream,
 ubi non sum, sed ubi ipse est; quia *mibi* ^{Pf. 72.} _{28.}
adherere Deo bonum est, sed non mihi: alio-
 quin quærerem viventem cum mortuis,
 quod benè mones non esse faciendum.

Sed quàm sapienter, antequam Christi
 resurrectionem evangelizares mulieri-
 bus, prius monuisti ut non timerent!
 timidis enim, & quod non est metuen-
 dum metuentibus, non surrexit Chri-
 tus. Roga ergo ut à timore tam indigno
 sponsis Christi absolvamur. Quantæ id
 verò dementiæ præsentem Deo immor-
 tali & protegente, timere mortalem;
 timere reum, & non timere judicem.
 Dic ergo nobis sæpius: *Nolite timere*.
 Hoc timeamus unum, ne aliquid timea-
 mus præter Deum. Opta hoc nobis, ut
 potius timeamus quem amamus, & hoc
 solum timeamus, ne semper non ame-
 mus. Nihil enim timendum est amanti-
 bus. Amen.

AD ANGELUM

Supremi Judicii præconem.

Ipsè Dominus in jussu & in voce Archangelii, & in tubâ Dei descendet de cælo; & mortui resurgent. 1. Theff. 4. 15.

SANCTE Angele, nobilis præco supremi, & tam timendi judicii; qui venientem Christum stupenti naturæ, & mortuis etiam audientibus, annuntiabis, novus & ultimus Evangelista; jucundissimus Sanctis, sed durus mundo & amatoribus mundi nuntius; obsecramus te, fac jam quod facturus es. Excita in corde nostro sonitum illum terribilis tubæ; ut anticipatione quâdam fidei audiamus nunc ad salutem, ne tunc ad damnationem audiatur. Quàm sæpe audiebat Hieronymus tremens, illam quoque ad timendum usurpemus; ne cum in die ultimo insonuerit, timeatur. Cum aliquid sensibus placuerit, aut cum nobis aliquid difficilius videbitur; salubri hujus tubæ cogitatione præcipientem nimium naturam coerceamus, & in rebus Dei semper pigram & moras nectentem incitemus.

Arridenti mundo & sævienti tubam tuam sapienter opponamus. Tam magnum, maturè illam audientibus præsidium sit, quantum erit aliquando

tormentum seriùs audituris. Fide tam efficaci intùs insonet , & aures audiendi tam tota impleat , ut omnem circumfusi mundi strepitum vincat. Sit nobis illa silentii conciliatrix ; excitet nos ad orandum ; excitet ad pugnandum fortiter , cum tubis illis sacerdotalibus veteris Testamenti ad vincendum longè potentior sit. Si minùs utiliter interdum tempus infumetur , hoc nobis ingerat : En Christus venit , & tempus non erit amplius. Quanquam timorem incutere debeat , non minus tamen consoletur nos , quòd adventum Salyatoris annuntiet. Et magnum amorem & magnum simul timorem excitet in cordibus nostris ; ut nihil magis amemus quàm adventum sponsi , nihil magis quàm illius iram timeamus. Amen.

O R A T I O N E S A D S A N C T O S.

Ad sanctos Patriarchas.

SANCTI Patriarchæ , fundamenta utriusque testamenti , & primi lapides Sanctuarii quod fixit Deus ; qui ante omnia primæ legis & secundæ Sacramenta , finem Sacramentorum assecuti , re ipsa docuistis sufficere Deo posse si-

dem amantis, cum ipsi solâ fide Christi, & solo amore Christi, ad omne virtutis culmen, quamvis omnibus aliis destituti auxiliis quibus abundamus, pervenire potueritis; qui majori fide & illustriori, absque tot miraculis fidem nostram confirmantibus dantes gloriam Deo, ea omnia aliquando implenda credidistis, quæ jam oculis ipsi videmus impleta; qui nullos ferè habuistis quos imitari mini, & quos, omnes postea imitati sunt; orate ut heredes fidei vestræ, Dei heredes & coheredes Christi esse mereamur.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui Patriarchas, primos parentes fidei nostræ, ex mundo universo duplici mortis & ignorantie nocte involuto separasti, quibus sol justitiæ etiam ante ortum suum oriretur; da nobis tantæ fidei & pietatis exempla sectantibus, mundum jam desinentem & miserum contemnere, quem incipientem ipsi & velut in ortu speciosius aridentem nihil dubitando contempserunt; per Christum &c.

Ad sanctos Prophetas.

SANCTI Prophetæ, qui acie oculorum spirituali, omnem cujuscunque temporis obscuritatem superantium, futura

quæ soli Deo cognita sunt & ipsi velut præsentia inspexistis; primi Ecclesiæ magistri, & sanctorum ejus Doctorum sancti doctores; qui docuistis homines quod ab uno Deo intus vos docente mirabiliter accepistis, ante Evangelistas Evangelistæ; qui omnium sæculorum Hæreticos insuperabili seminum fidei firmitate vincentes, omnem errorum messem priusquam orientur succidistis; orate pro nobis, ut in Scripturâ & in operibus Dei, quæ sola, & semper suspiciebatis, piè omni tempore meditemur.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui ut novo genere liberalitatis infinitæ, beneficiorum tuorum magnitudinem augeres, ante tempus sanctâ quadam amoris tui impatentiâ, mysteria tua prædixisti, ut alii eorum spe, alii eorum effectu alerentur; atque ita illis omni tempore fideles tui fruerentur; da nobis, pro ineffabilibus beneficiis quæ semper in nos conferre voluisti, semper ipsi quoque indefinenter gratias agere festinemus.

Ad sanctos veteris Testamenti.

SANCTI, qui ante legem, opus legis scriptum in cordibus vestris exhibuistis, sincerâ illa charitate servientes, quæ

prima lex est, & omnis legis plenitudo. Sancti qui in tempore legis, supra legem & egena legis præsidia assurrexistis, in solâ spe Salvatoris acquiescentes; qui exultastis ut videretis diem Christi; vidistis, & gavisi estis; laudate Dominum, & orate pro nobis.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui Sanctos veteris Testamenti, & ante legem, eâdem fide Salvatoris fecisti Christianos, quamvis occultos; da nobis eorum precibus, fidem tam ardentem & vigilantem imitari, ut qui judicandum à superbis intentissimi expectarunt, venturum jam judicem & damnaturum superbos, indefinentibus & fidelibus desideriis doceant nos expectare humiles & subjectos Dominum nostrum Jesum Christum.

Ad sanctas Mulieres veteris Testamenti.

SANCTÆ mulieres, matres in Israël; quæ ædificastis Israël, judicastis Israël, & veritatem respondistis in Israël; mulieres fortes, & figuræ mulieris fortis quæ Christo nupsit Ecclesiæ sanctæ; sponsæ hominum ob tempus veteris Testamenti; quæ tam humiles & sanctæ, tempore novi Testamenti Dei tantum sponsæ

sponsæ fuissetis ; mulieres quidem , sed figuræ Virginum christianarum , & figuræ Virginis matris Dei ; in quibus jam Deus serpenti minabatur nascituram feminam , quæ partu tam casto quàm divino caput ejus contereret , & mirabili humilitate supra locum apostatæ desertoris assurgeret ; orate pro nobis , ut conjugati castitatem vestram imitati , non longè recedant à moribus Virginum , utentes hoc mundo tanquam non utantur.

Oratio ad Deum.

DE U S , qui congruentem singulis temporibus medicinam humano generi administrando , in veteri Testamento maledixisti sterilibus , in novo Virginibus benedicens ; aperi cor nostrum , & illumina sensus nostros ; ut nec carni nec sanguini acquiescentes , id magis eligamus quod tibi magis placere intellexerimus ; conjugatis castitatem Virginum , & Virginibus foecunditatem conjugatarum , bonorum operum abundantiam imitantibus.

Ad sanctos Apostolos.

SANCTI Apostoli , primi dispensatores mysteriorum Dei ; non magis Apostolicâ magnitudine quàm Apostolicâ humilitate & claritate sublimes ; fun-

damenta & portæ veræ civitatis Jerusalem, columnæ in templo Dei vivi; novi cœli, qui enarrastis gloriam Dei, quam audierunt omnes gentes orbis terrarum; audierunt, & ad Deum vestrum conversi sunt: laudate Dominum, & orate pro nobis.

Oratio ad Deum.

DA nobis, quæsumus, Domine salutaris noster, Apostolis, angelis faciei tuæ, & amonibus tui vicariis intercedentibus, gratiam hanc Apostolicam, quâ nos & mundum perfectè contemnentibus & relinquentibus, perfectè tibi adhæreamus; ut corde vero atque perfecto te sequentes in omnibus, nullo unquam alio amore à tuo amore separemur.

Ad sanctos Evangelistas.

SANCTI Evangelistæ, qui verba vitæ ex ipso fonte vitæ haurientes, ea ad Ecclesiam transmisistis, ut qui Christum videre & audire non potuimus, nobis etiam Christus loqueretur; atque ita, duplici beatitudine frueremur, quia credimus quod non vidimus, & eadem tamen audimus, quæ qui viderunt, audierunt; orate pro nobis, ut Evangelium vestrum, non solùm oculis aut auribus usurpatum, in corde nostro, ut res cor-

dis, Spiritu sancto dictante & imprimente, conscribatur. Amen. Fiat, fiat.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui luce Evangelii, orbis terrarum lethales tenebras discutere misericorditer voluisti, ut in lumine vitæ ambulantes, ad fontem vitæ perveniremus; da nobis ut non amplius neque doctrinis Dæmoniorum, neque moribus nostris Evangelio tam contrariis, lux Evangelii obscuretur; ne reos nos esse contingat tot animarum, quæ nobis ob scandalorum abundantiam prohibentibus, Evangelio non credunt.

Ad sanctos Martyres.

SANCTI Martyres, testes Christi fideles in Christo; qui vicistis propter sanguinem Agni & propter verbum testimonii ejus; non diligentes animas vestras, ut Deum vestrum gloriosè confitendo diligeretis; qui certastis usque ad mortem pro justitiâ, & mortis supplicium in triumphum vitæ convertistis; qui talia Christo reddidistis qualia ex ejus convivio accepistis, bibentes sanguinem novi testamenti, & vestrum pro eodem testamento fundentes; laudate Dominum, & orate pro nobis.

Oratio ad Deum.

DEUS, quem amando & timendo, Martyres mundum sive promittentem sive terrentem contempserunt; da nobis, piis eorum intercessionibus, ut eodem pleni spiritu amoris tui & timoris, hoc tantum amemus quod promittis, hoc tantum timeamus quod minaris; sicque inter persecutorum odia, & mundi collabentis turbines & ruinas brevemque crudelitatem, ibi nostra fixa sint corda, ubi gaudente in te nemo vincitur, cum nihil corpus sentiat in nervo, cum animus in caelo est.

DOMINE Jesu Christe, qui etiam ex eremi latebris & silentio pro nomine tuo testimonium petiisti ab iis qui tandiu tacuerant, & quomodo, aut quid cum hominibus loquerentur amplius cogitare volebant: concede nobis qui elongavimus fugientes, & tuæ gratiæ fiduciâ in solitudine permanemus, ex omni tentatione reportare proventum, ut in silentio & spe fortitudinem nostram ad te fideliter custodire mereamur, qui vivis &c.

SANCTI Confessores, qui Christum in solitudinis secreto coram Angelis piè confessi, postmodum ante Reges & Præ-

fides palam & fortiter confessi estis, orate pro nobis.

Qui pro sanctis imaginibus strenuè dimicantes, in imaginem Dei feliciter transformari meruistis, orate pro nobis.

Ad sanctos Innocentes Martyres.

SANCTI Innocentes, qui hostem incognitum etiam sine armis vinctes, ante usum vitæ coronam vitæ percepistis; primæ victimæ sanguinis Christi ante fuscum sanguinem Christi; non solum pro Christo, sed Christi loco & ut Christus mortui; quos Tyrannus interficiendo, non homicidio simplici sed deicidio se obstrinxit; non solum fidei martyres, quam nec corde credere nec ore confiteri poteratis, sed martyres vitæ Christi, qui morte vestrâ, quodammodo vitam Agni pro nobis & pro omnibus morituri conservastis, cujus beneficio vixistis, & cujus majori beneficio, mortui ad gloriosam immortalitatem pervenistis; miracula gratiæ Christi, in quorum felicitate & gloriâ nihil naturæ, sed omnia sunt Christi; Deum orate, ut nobis veram simplicitatem, primum fundamentum martyrii largiatur.



Oratio ad Deum.

DEUS, qui etiam infantes, singulari gratiâ martyres reddidisti; da nobis tantam in gratiâ tuâ omnipotentiâ fiduciam, ut nihil sit quod ab ea humiliter sperare non audeamus; cùm beati ipsi Innocentes, qui nihil poterant, mundum, & ipsum principem mundi diabolum, in Herode beneficio tuo vincere poterint, qui cum Patre &c.

*Ad sanctos Episcopos, & Pastores
Ecclesiæ & animarum.*

SANCTI Episcopi & Pastores Ecclesiæ, ministri novi Testamenti, & legatione functi pro Christo ut reconciliemur Deo; custodes murorum Jerusalem, qui ambistis lectulum Salomonis, omnes de fortissimis Israël & ad bella doctissimi; qui aliunde non ascendistis, sed per ostium intrastis in ovile ovium, forma facti gregis ex animo, pascentes & diligentes, & diligendo pascentes; qui in bonitate & alacritate animæ vestræ placuistis Deo pro Israël; qui corroboraistis Jacob, & in omni opere vestro confessionem dedistis sancto & excelso in verbo gloriæ; pacificantes in Ecclesiâ; qui in diebus vestris non pertimuidistis principem; ascendentes ex adverso, &

opponentes murum pro domo Israël , corpore & animo parati mori pro fratribus ; laudate Dominum , & orate pro nobis.

Oratio ad Deum.

DEUS , protector salvationum Christi tui , qui sub Episcopo animarum nostrarum Filio tuo, alios nobis pastores providere dignatus es , quos ex visceribus charitatis tuæ ferventiores ad diligendum gratia tua reddidit , quam natura patres carnis nostræ ; da nobis quæsumus , Domine , pastores secundum cor tuum, qui nos gemitu plusquam paterno & materno in felicioram vitam parturientes , justitiæ tuæ semper opponant misericordiam tuam ; ita ut nunquam illis desit sollicitudo pastoralis , ac plebi tuæ obedientia filialis. Per Dominum &c.

Ad SS. Pontifices Romanæ Ecclesiæ.

SANCTE Pontifices , in sollicitudine omnium Ecclesiarum fideles , in maximâ dignitate humiles , in tantis rerum externarum impedimentis non minùs charitate ferventes ; primi amoris Christi Vicarii , & successores Petri , cui latior consulendi & gubernandi provincia commissa , quod teste Christo , plus aliis dilexisset ; qui canones spiritu Dei con-

ditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, diligentius quàm bona temporalia custodistis, quæ ex Apostolicorum viscerum plenitudine in sinum pauperum gaudentes effundebatis; orate, ut non minùs vestræ sedis sanctitatem, quam auctoritatem veneremur.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui Romanos Pontifices in tanto dignitatis fastigio collocasti; da illis sapientiam Apostolicam, Ecclesiæ sanctitati semper intentam; ut & ob potestatem auctoritatis, & auctoritatem charitatis, nos semper habeant, in Christo Jesu cui serviunt, obsequentes; per eundem Dominum &c.

Ad sanctos Patres Ecclesiæ.

SA N C T I Patres Ecclesiæ, qui non vos, sed Dominum glorificastis in doctrinis; facientes, docentes, & orantes ut faceremus quod docuistis; qui custodistis veritatem in sanctitate & justitiâ coram ipso, & eloquia Dei in corde vestro abscondentes ut magis arderent, ad animos hominum inflammandos ex abundantia cordis locuti estis; luminaria Ecclesiæ, in quâ præstis in nocte hujus sæculi ad dirigendos pedes nostros in viam pacis; laudate Dominum, & orate pro nobis.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui ut inimicum superseminantem errorum zizania, ab Ecclesiâ tuâ per Patres nostros repelleres, eos prius quæ docerent docuisti, ungens per spiritum oleo lucis tuæ, quo tibi arderent & nobis lucerent, veritatem charitate adepti; da nobis piâ eorum intercessione, ut qui à veritate, amando nos, exulavimus; amando te ad hanc beatorum patriam reducamur; per charitatem intrantes ad veritatem, ne fures nos esse contingat; & breviori ac tutiori viâ ad scientiam pervenientes, unum Christum sciendo, quem tantum scire omnia scire est, per eundem &c.

Ad SS. Defensores gratiæ Christi.

SA N C T I Defensores justitiæ Dei, & misericordiæ ejus interpretes; testes non suspecti infirmitatis naturæ; tam necessariæ humilitatis propugnatores; prædicatores gratiæ Christi quâ salvamur, & libertatis Christianæ vindices adversus *temerarios liberi arbitrii non tam laudatores quam inflatores*; qui acriter pro jure nostro insurgentes, (quod aliud non est quàm voluntas judicis misericordis,) cucurristis in siti charitatis, cum pretium nostrum quo redempti sumus, ab hæreticis gratiam Christi impugnan-

tibus repelleretur, panem nostrum de quo lis Ecclesiæ intentabatur, nobis & Ecclesiâ conservando; qui Spiritui sancto testimonium nobis reddenti quòd sumus filii Dei, vicissim testimonium reddidistis, quòd ipse facit filios Dei, & eos solus discernit à filiis Diaboli; qui viginti quatuor seniores, coronas suas ad pedes agni humiliter & sanctè abjicientes imitati, quod illi in coelo, id ipsum vos in terrâ fideliter coram Ecclesiâ præstitistis, palam professi, *cùm merita nostra à Deo coronantur, nil aliud quàm dona sua in nobis ab illo coronari*, ut non minùs laus nostra quàm fortitudo nostra sit; orate pro nobis, ut perfectè de nobis desperemus, quia nihil possumus & nihil sumus; & perfectè speremus in gratiâ Salvatoris, quia omnia possumus in eo qui nos confortat.

Oratio ad Deum.

DEus, qui post Paulum Apostolum Doctorem amoris tui & gratiæ tuæ, Augustinum, Prosperum, Fulgentium, Germanum, Lupum, Prudentium, & Bernardum, aliosque magnificentiæ gloriæ regni tui, & perfectæ ac victricis gratiæ intrepidus amatores, nobis quoque patronos & defensores esse voluisti; da nobis, piâ illorum intercessione adjutis, *intelligentiam gratiæ Christia-*

ne sapientes virgines à fatuis distinguentem, quæ nos humiles reddat, & fortes; ut procul à superbiâ præfumentium, & à desidiâ nihil operantium, justitiæ sub-
jecti, & gratiam quâ salvamur glorifi-
cantes, *gratia semper gratias agendo; tan-*
quam veri Israëlita, redemptionis æternæ mi-
sericordiam infinitam admiremur & adore-
mus, vim Crucis & Salvatoris tui no-
minis, conversione morum nostrorum,
& sancti amoris flagrantia, in nobis ipsis
ad mutuam ædificationem perpetuò re-
præsentantes.

DA nobis Domine, ut testes cœli
fideles effecti, Spiritui sancto testi-
monium nobis reddenti quod sumus fi-
lii Dei, vicissim ipsi testimonium non ti-
midè reddamus: Non nostrum, sed il-
lius opus esse, quòd filii Dei nomine-
mur & simus; per Christum &c.

DEUS, qui *gratiam largiris pro gratiâ*: Joan. 16
da nobis, ut cum justorum & ju-
stitiæ corona non alia sit quàm Spiritûs
sancti; ad eam nos nunquam, nisi ejus-
dem Spiritûs gratiâ pervenire posse ve-
rissimè fateamur.

DEUS, qui gratiam auferis ab ingra-
tis: da nobis ut nihil magis quàm
ingrati animi vitium formidantes, gra-
tias tibi tantùm agamus quantùm libe-
ramur, & quantùm à te accepimus.

Gloria virtutis sanctorum, Deus.

PL 88.
12.

CONFITEOR tibi, Domine, *quoniam*
Gloria virtutis sanctorum tuorum tu es.
Non enim voluntate humanâ quâ ægro-
tamus, sed voluntate divinâ quâ sanamur
salvi facti sunt; non per liberum arbi-
trium, sed per Spiritum sanctum. Placue-
runt Patri tuo, quia places: vicerunt mun-
dum, quia vicisti. Victoria illorû, victoria
crucis tuæ. *Neque enim in gladio suo possede-
runt terram, & brachium eorum non salvavit
eos; sed dextera tua & brachium tuum, & illu-
minatio vultûs tui; quia complacuiisti in eis.*

PL 43.4.

Salus justorum à Domino. Ps. 36. 39.

DEUS salutis, Deus exercituum, &
Deus vitæ: confiteor tibi, Domi-
ne, quia sine te nemo salvat, nemo vin-
cit, nemo sanat; & verè, quocunque
modo vivamus & vincamus, tua est salus;
nec aliquid nostrum est, nisi cum peri-
mus. Nobis morimur, & à nobis: tibi
vivimus, & per te vivimus. Sufficimus
nobis ad pereundum: tu sufficis ad sal-
vandum. Qui præter te nihil ampliùs
quærit, jam salvus est.

Ad SS. Doctores & Prædicatores.

SANCTI Doctores, secundi Scripturæ
& voluntatis Dei interpretes; filii
Patrum & heredes; qui paternam hanc
hereditatem fidei & pietatis, Ecclesiæ

summâ curâ & vigilantîâ custodistis ,
nobis parvulis panem vitæ fregistis. Et
ipsi , fortes David , & inter robustos no-
minati , quanquam inferioris ordinis ,
nec non tam æquales Patribus , quàm
Patrum & sacræ Traditionis discipulos
sobriâ humilitate profiteri solebatis; nu-
bes fœcundæ , quæ Deo tantùm man-
dante pluistis super terram, orate pro no-
bis, ut christiani, discipuli esse malint qui
salventur , quàm magistri qui pereant.

Oratio ad Deum.

DEUS , qui in templo tuo à Salomo-
ne extracto , post clypeos aureos
quibus antea ornabatur , clypeos æneos
reponi voluisti , ad defensionem quidem
utiles , quanquam pretio inferiores ; da
nobis ut humiliemur , & ad Doctores
nostros qui Patribus successerunt aures
audiendi offeramus ; & ii tantùm hoc
docendi munere fungantur, quos docue-
ris , & ad docendum electos ipse miseris.

Ad sanctos Diaconos.

SANCTI Diaconi , patres pauperum ,
pleni fide & Spiritu sancto; qui curis
rerum temporalium Apostolos , & Epis-
copos Apostolorum successores exone-
ratis , ut orationi instarent & prædica-
tioni verbi , otium illis tam necessarium
solicitudine vestrâ redimentes ; qui bo-
na Ecclesiæ diligenter administratis ,

non ut Ecclesia magis abundaret, sed ut pauperes minus egerent; quanquam domesticos fidei præferretis, Christum tamen in omni paupere videbatis; tantâ verò charitate largientium sæpe convertebantur indigni: sed alia vobis ratio erat in distribuendo corpore & sanguine Domini, cum sciretis, indignis & impœnitentibus non tam remedium quàm venenum propinari. Orate, ut cum tam gravem Episcoporum sarcinam jam Diaconi non sublevent, illa saltem fidelium votis & continuis precibus sublevetur.

Oratio ad Deum.

DA Sacerdotibus tuis, Domine, antiquos Diaconos imitari; ut quantam adhibere solent diligentiam in arcendis pauperibus indignis à thesauris Ecclesiæ, ubi nimiâ diligentiam peccari potest, eadem ab illis in distributione corporis Christi adhibeatur, à quo semper indigni arceri debent; nec frustum negetur iis, quibus corpus Christi non negatur.

Ad sanctas Virgines & Martyres.

SANCTÆ Virgines, Charitatis templa, Sponsæ Veritatis, poenitiæ & fidei victimæ; quæ Spiritus sancti igne arden-tes, Tyrannos, ac naturam non minus metuendam superastis; quæ glorioso

privilegio Agnum sequimini quocunque ierit, quia quodcunque amavit, & ipsæ verâ humilitatis, castitatis, & passionis ejus imitatione amavistis: laudate quem amatis, & per quem amatis; & orate ut amemus.

Oratio ad Deum.

SPONSE Virginum, cujus illustriorem similitudinem, sinceræ veritatis amatrices adeptæ sunt; imprime voluntati nostræ similitudinem voluntatis tuæ, cujus beneficio steterunt in veritate, ut virgines essent; æternitati tuæ admoventes cor suum, ne cum figura mundi transeunte deceptæ transirent; & castum sanguinem fundentes, ut ejusdem calicis societate tibi adhuc arctiùs jungerentur & sponsæ & Martyres Veritatis; aperi nobis earum precibus, eundem vitæ fontem ex quo ebriæ tormenta contempserunt; ut perseveranti castitate hauriamus lumen tuum, quo tanquam veste nuptiali ornati, æterno convivio cœlestium nuptiarum interesse mereamur; qui cum Patre &c.

Ad sanctas Virgines.

SA N C T Æ Virgines, filiaë Virginis, sponsæ Filii Virginis; quæ id oblitæ quod natæ estis, supra naturam ardore charitatis evertæ, sponsum invenistis

in cœlo , cùm homini mortali in terrâ nubere nolulistis : angeli mortales , jam ante resurrectionem , quandam incorruptionis similitudinem adeptæ ob sponsi immortalis societatem ; in ipsâ integritate corporis, vobis non defuit fœcunditas, sed fœcunditas charitatis, quæ auget, non minuit integritatem. Vos quasi matres animarum, & veræ matres in Israël, pro earum salute dies & noctes laborastis ; & lacrymis in conspectu sponsi pretiosis, sterilitatem nostram irrigastis, ut fructus ferret æternos ; orate sponsum , qui vobis obsecrantibus, augeat numerum sanctarum Virginum ; ut remedia morbo non desint , & cùm inundent tot peccata, provideat sibi Dominus plures quæ orrent pro peccatis.

Oratio ad Deum.


DE U S, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, quibuscum tantâ charitate conjungi voluisti, ut sponsus Virginum, sicut es, dicereris; da nobis, intercedentibus sponis tuis, deliciæ nostræ sint esse cum Domino nostro & Deo nostro; quia cùm tecum jungimur, virgines sumus; aut saltem virginitas, ex ipsâ cordis integritate defectum corporis emendante, sicut fieri potest, amissa restauratur.

Ad sanctos Ordinum Institutores.

SANCTI, qui in diebus malis, laboranti Ecclesiæ auxiliares copias transmissistis, quæ adversus seculi nequitiam abundantiori virtute pugnarent; morientes mundo & Deo viventes, ut eorum exemplo disceremus vivere Evangelicam vitam, moriendo Evangelicam mortem: *Viri*, non magis prole sanctâ Eccli. quàm humilitate *gloriosi*; *magni virtute*, 44. *divites in virtute*, *pulchritudinis studium habentes*; *viri misericordiæ*, qui filios vestros humilitatem & misericordiam docuistis, quorum omnis hereditas, veritatis hereditas & charitatis; orate pro nobis, ut fiat in Ordinibus vestris spiritus vester duplex. Amen.

Oratio ad Deum.

DEUS, quem hominum in dies peccantium malitia non vincit, sed misericorditer nova semper remedia adversus novos morbos opponis; da nobis ut remediorum copiâ non laboremus; sed iis sanctè utendo, ad te amandum & laudandum, tot adjuti præfidiis convalescamus, per Christum &c.



Ad sanctos Abbates.

SANCTI Pastores foecundissimarum ovium, qui exeuntes de Ægypto, Moysen imitati per desertum duxistis floribus vernans, omnium virtutum laude tam Deo quàm hominibus placentes; qui sanctos greges non minùs exemplo & precibus quàm præceptis ad veram vitam informastis; qui agnoscentes vultum pecoris vestri, cum infirmis infirmi & cum fortibus fortes, nec nimiã lenitate quæ peccatis ignosceret, nec nimiã severitate quæ peccantes obrueret, ipsi peccantes, discretionem sancti Jacob piè imitati estis; qui greges Dei non fecistis plus in ambulando laborare, ne morerentur: nec ferentes peccati æruginem, nec vehementiùs illam eradendo, vasa frangentes; orate pro nobis, ut nunquam desint in Monasteriis qui utiliter præsent, alii verò omnes humiliter subsint, non tam Abbati quàm Deo obedientes.

Genes.
33. 13.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui cum tibi placuerint vix hominum, aut ut tibi placeant, utilem rectorem suscitasti super illos; miserere tot Monasteriorum, quæ tibi olim sincerâ charitate servierunt, & provide illis Pastores secundum cor tuum, qui

diaboli vigilantia tam potenti ad per-
dendum, sanctam vigilantiam opponant
ad salvandum, *mordentem severitatem mul-*
centi paternitati admiscentes, per Christum
Dominum nostrum.

Ad sanctos Monachos.

SANCTI Monachi, stellæ suspensæ in
firmamento Ecclesiæ; quæ manentes
in ordine & cursu vestro pugnastis ad-
versus hostes Ecclesiæ, subvenientes
ruinæ ante conspectum Dei; quibus in-
star Moïsi in oratione Dei perseveranti-
bus & vincentibus, Ecclesia vicit; qui-
bus in tuto silentio, tumultuantis mundi
inanem strepitum superantibus, Docto-
res Ecclesiæ adversus mortem peccati
verba vitæ acceperunt; qui sanctâ chari-
tatis & patientiæ concordiam vos mutuò
fovistis, alterutrum in pace Christi ædi-
ficantes; laudate per quem laudatis, &
orate ut laudemus, silentium vestrum
imitati sine quo non laudatur.

Oratio ad Deum.

DEUS admirabilis in Sanctis tuis,
qui Monachos & Religiosos pio
mundi contemptu & sui ipsius supra
mundum evexisti; da nobis, quæsumus,
iis intercedentibus, spiritum continen-
tiæ salutari; ut quæ mundus malè odio

habet amantes, & quæ malè amat odio habentes, contemptu & fugâ bonorum decipientium & caducorum ad vera bona & æterna perducamur, per Christum Dominum nostrum.

Ad sanctos Ordinis.

SANCTI, qui in eâdem palæstra certantes, certandi nobis & vincendi exemplum præbuisistis; domestici fidei & charitatis, omniumque virtutum, quarum luce non tantùm Ordinem, sed Ecclesiam universam illustrastis, adhuc magis Ecclesiæ quàm Ordinis amatores; qui (quod difficillimum est) proprium amorem ab amore Ordinis sejungentes, vos non amando, Deum in Ordine, & Ordinem in Deo amavistis; quorum, ut pote tam humilium, verus ordo fuit abjectio, vera obedientia charitatis, & perfecta mortificatio, cujus spiritu vobis plura negabatis, ne plura pauperibus negarentur; orate pro nobis, ut non contenti externis conversationis vestræ vestigiis, non tantùm quod fecistis, sed id etiam eodem spiritu, faciamus.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui huic Ordini tot luminaria in cœlo Ecclesiæ fulgentia largitus es, quorum etiam sanctitate

commendamur ; da nobis , ut non magis gloriemur quia sancti sunt , quàm humiliter confundamur , quòd in eâdem veste & in iisdem institutis , non eodem spiritu sanctitatis ambulamus.

Ad sanctos Eremitas.

SANCTI , extra mundi conversationem & pericula mundi , cœlesti conversatione tam securâ gaudentes ; qui non hominum odio aut tædio homines videre noluitis , quorum omni conspectu , ob naturæ infirmitatem carere non possunt qui tantùm homines sunt , salutari fugâ hosti vos subducentes impietate contagiosâ lædenti , quem sæpè tantùm videndo vincimur , ut Deum unum quæreretis ; eò feliciores , quò vos solo Deo felices , cujus contemplatione potest homo sine homine vivere ; orate pro nobis , ut cùm tantæ solitudinis tanta nostra non sit capax infirmitas , saltem vero solitudinis amore ita roboreremur , ut nobis mundus nocere non possit.

Oratio ad Deum.

DEUS , qui perfectæ solitudinis amatores extra mundum rapuisti , ne malitia mutaret intellectum eorum ; ita mundo mortuos ut illis mundus nocere

non posset, ita tibi viventes ut prodesse mundo; da nobis tantam virtutem admirari quam imitari non valemus; ut illis saltem amore jungamur, à quorum virtute & meritis tanto intervallo disjungimur. Largire ut cùm inter homines conversari nobis erit necessarium, in interiori quodam cordis secessu tibi Eremitæ esse possimus.

Ad sanctos Contemplatores.

SANCTI, silentii christiani amatores, quo Deus auditur loquens, & quo homines Deo loquuntur; qui linguam mortalem exosi tot peccatorum ream, linguâ Angelorum loquebamini, duabus veritatis & charitatis alis supra terram suspensi, cùm ad cœlum ubi erat thesaurus vester, cor vestrum vinculis amoris raperetur, nihil cogitans quod videri aut sentiri posset, ut Deum cogitaret, nullo carnalium desideriorum, nullo corporeorum phantasmatum perturbante tumultu; orate pro nobis, ut si linguâ Angelorum non loquimur, quia vitâ Angelorum non vivimus; saltem linguâ fidei & linguâ hominum, sed tantùm ad benedicendum Domino loqui possimus.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui amoris tui abundantiam, ex hominibus Angelos facis, quorum in vitam mortali immortales delicias prægustantium, omnis actio in eo versatur, ut te ament & te laudent; da nobis, ut quod de te experiuntur humiliter credentes, idem aliquando plenius in patriam veritatis veritatem adorando experiri mereamur, Per Dominum &c.

Ad sanctos, quorum vita, non solum miraculorum abundantiam claruit, sed magnum ipsa miraculum fuit.

VASA in domo Dei pretiosa, in quibus non tantum divitias gratiæ, sed etiam gloriæ suæ nobis Deus ostendere dignatus est, non solum ad imitandum sed ad mirandum, ut auro & gemmis pie delectati, non in illis saporem, sed cibum vitæ quo plena sunt, quaeremus; vobis Deus vester, præter sanctitatem Prophetarum, eorundem etiam in mirabilibus faciendis potestatem contulit. Naturæ imperastis, quæ in vobis Dei imperium venerata est, supra mundum potestate, quia infra omnes humilitate fuistis. Corpori servire, nec ser-

vitute quidem necessariâ voluistis , quasi jam extra corpus , Angelorum magis quàm hominum more viveretis. Orate pro nobis , ut consilium Dei intelligentes , non imitemur quæ in vobis magna sunt , sed quæ sancta sunt.

Oratio ad Deum.

DEUS , qui ad excitandam obdormientium admirationem , illustres & humiles Thaumaturgos in auxilium Ecclesiæ & ornamentum largitus es ; da nobis , piis eorum intercessionibus , ut qui fortè usitato misericordiæ tuæ cursu & ordine salvari jam non possumus , gratiæ tuæ velut miraculo , in laudem gloriæ gratiæ tuæ , à mundo & nobis liberemur ; nec alia quàm veræ salutis miracula requiramus , per Christum &c.

Ad sanctos Reges & Principes.

SANCTI Reges , qui in dominatione ipsâ , evasistis superbiam dominandi ; qui non regnandi cupiditate , sed benefaciendi charitate flagrantes , nil aliud in regno amastis , quàm disciplinam regendi & benevolentiam consulendi ; qui non vobis , sed subditis vestris & Deo regnavistis , in eo regnare vos arbitrati , si in regnis vestris ipse regnaret , tantò securiùs aliis imperantes , quantò humiliùs

lius Regi Regum obediētes vos exhibuistis; impetrate nobis magnanimitatem Christianam, nunquam peccato cessuram. Orate pro Regibus, ut Regem se in cœlo habere intelligant, & securi magnitudinis suæ, hęc tantummodò se crescere posse arbitrentur, si coram Deo humiles sint.

Oratio ad Deum.

DE U S, qui miraculo gratiæ Reges ipsos, qui ab humilitate fidei magis alieni videri poterant, ita fecisti christianos, ut sublimiori pietate, regnum tuum magis amarent quàm suum; da nobis, illis intercedentibus, fortitudinem fidei & charitatis, quâ nos quidquid veritati tuæ & salutis nostræ contrarium est, præter te nihil timendo vincamus, qui vivis & regnas &c.

Ad sanctos Judices & Magistratus.

SANCTI Judices, ad quos causa viduæ & pupilli ingressa est; qui faciem potentis non accepistis, valentes per-rumpere iniquitatem; integri justitiæ amatores, quam qui benè amat, justus; & qui non amat, injustus est; à supremo judice misericorditer judicati, quia justè judicastis; in discernendo jure factes, in tuendo & propugnando for-

tes : Nihil magis timuistis, quàm, ne homines timendo aut nimium amando, rei injustitiæ coram Deo inveniremini, quam ipse nunquam severiùs quàm in iudicibus punit. Sancti legum interpretes, quorum iudicia conjuncta legibus, & à supremæ legis æquitate (quantum fieri potuit) manantia, familiarum, urbium, & populorum concordiam & pacem conservarunt, quæ sine justitiâ nulla esse potest; orate, ut non magis ament homines iudicandi dignitatem, quàm timeant periculum malè iudicandi.

Oratio ad Deum.

OMNIPOTENS Deus, à quo est omnis potestas; qui Iudicibus & Magistratibus omnem reverentiam exhiberi præcepisti, quam illis exhibendo, tibi ipsi omnis justitiæ fonti exhibemus; largire, ut populis honorantibus Iudices, & Iudicibus honorantibus justitiam, tu solus ab omnibus, & in omnibus honoreris; per Christum &c.

Ad sanctas Viduas.

SANCTÆ Viduæ, quæ post homines sponfos, Deum sponsum habere meruistis; secundæ Virgines Ecclesiæ, quod deerat virginitati humilitate

plevistis , corpus minùs integrum corde magis integro compensantes ; quæ expertas mundi delicias fortiùs contem- nentes , naturam adversùs vos insurgen- tem nobiliori certamine superastis : vana & falsa corporis ornamenta, quæ Angeli erubescunt , cum veris & mirabilibus animæ ornamentis feliciter commuta- stis. Matres pauperum , & ancillæ ser- vorum Dei , quæ Ecclesiæ velut domi- næ servientes , mundum & principem mundi , nil magis quàm humilitatis & charitatis opera reformidantem , vobis subjectum habuistis ; orate pro nobis ; ut Viduæ christianæ verè viduæ sint, & mortificatione crucis ornatae pugnent ad- versùs diabolum ; ut mundo mortuæ, vi- vant ; quia quæ in deliciis vivit , vivens mortua est.

Oratio ad Deum.

DE U S , qui in Viduis christianis amissorum conjugum mœrorem in gaudium cœlestis conjugii convertisti, ut quamvis inferioris ordinis, eodem quo virgines sponso gauderent ; da nobis, ut animæ post sponsum cœlestem amissum infeliciùs viduæ , ad pristinam aut etiam majorem dignitatem verâ & excellenti penitentiâ revocentur ; per Christum Dominum nostrum.

tes : Nihil magis timuistis, quàm, ne homines timendo aut nimium amando, rei injustitiæ coram Deo inveniremini, quam ipse nunquam severiùs quàm in iudicibus punit. Sancti legum interpretes, quorum iudicia conjuncta legibus, & à supremæ legis æquitate (quantum fieri potuit) manantia, familiarum, urbium, & populorum concordiam & pacem conservarunt, quæ sine justitiâ nulla esse potest ; orate, ut non magis ament homines iudicandi dignitatem, quàm timeant periculum malè iudicandi.

Oratio ad Deum.

OMNIPOTENS Deus, à quo est omnis potestas; qui Iudicibus & Magistratibus omnem reverentiam exhiberi præcepisti, quam illis exhibendo, tibi ipsi omnis justitiæ fonti exhibemus; largire, ut populis honorantibus Iudices, & Iudicibus honorantibus justitiam, tu solus ab omnibus, & in omnibus honoreris; per Christum &c.

Ad sanctas Viduas.

SANCTÆ Viduæ, quæ post homines sponfos, Deum sponsum habere meruistis; secundæ Virgines Ecclesiæ, quæ quod deerat virginitati humilitate

plevistis, corpus minùs integrum corde magis integro compensantes; quæ expertas mundi delicias fortiùs contem- nentes, naturam adversùs vos insurgen- tem nobiliori certamine superastis: vana & falsa corporis ornamenta, quæ Angeli erubescunt, cum veris & mirabilibus animæ ornamentis feliciter commuta- stis. Matres pauperum, & ancillæ ser- vorum Dei, quæ Ecclesiæ velut domi- næ servientes, mundum & principem mundi, nil magis quàm humilitatis & charitatis opera reformidantem, vobis subjectum habuistis; orate pro nobis; ut Viduæ christianæ verè viduæ sint, & mortificatione crucis ornatae pugnent ad- versùs diabolum; ut mundo mortuæ, vi- vant; quia quæ in deliciis vivit, vivens mortua est.

Oratio ad Deum.

DE U S, qui in Viduis christianis amissorum conjugum mœrorem in gaudium cœlestis conjugii convertisti, ut quamvis inferioris ordinis, eodem quo virgines sponso gauderent; da nobis, ut animæ post sponsum cœlestem amissum infeliciùs viduæ, ad pristinam aut etiam majorem dignitatem verâ & excellenti penitentiâ revocentur; per Christum Dominum nostrum.

Ad Sanctos conjugatos.

SANCTI, qui honorabile in Sacramento Christi conjugium christianâ sanctitate honorastis, Christum in illo & Ecclesiam piè venerati, & mundo utentes tanquam non uteremini; in divitiis pauperes, in paupertate ex abundantia fidei divites; qui filios non vobis, sed Christo & Ecclesie quæstivistis; nec tam eos bonorum vestrorum heredes, quàm heredes Dei ipsius & coheredes Christi, spe & educatione christianâ instituistis; qui Christum inter filios numerando, & partem illi bonorum vestrorum largiendo, defensorem filiorum vestrorum, & reliquæ hereditatis conservatorem habuistis; orate pro nobis; orate pro conjugatis, ut thorum immaculatum custodiant: orate pro continentibus, ne retro respiciant; & ut à matrimonialibus vinculis liberi, tantùm cogitent & ament quæ Dei sunt.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui omnipotentia gratiæ tuæ, in statu etiam minùs perfecto tantæ perfectionis exemplaria nobis proponere voluisti, ut non tam in adjumentis externis quàm in teipso speremus; concede nobis, ut conjugii sanctitas ~~non~~ fidelibus intelligatur, ut quod in Sacra-

mento sanctum est, ad consolationem Ecclesiæ, in moribus etiam conjugatorum sanctum inveniatur.

Ad sanctos Pœnitentes.

SANCTI Pœnitentes, qui gratiæ miraculo majore omnibus miraculis, hostem potentissimum jam victi vicistis, post captivitatem nobilius liberi, post crudelissimam paupertatem abundantius divites, post naufragium securius portu fruenter; post morbum fortius sani, post mortem integrius vivi; qui à dracone devorati, per ejus maxillam Christi cruce perforatam feliciter exivistis, ut exemplo vestro doceremur omnia posse Omnipotentem; orate pro nobis; ut qui stant, humiliores sint, ne cadant; & qui ceciderunt, humilientur, & resurgant.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui peccatores ad pœnitentiam, pœnitentes ad sanctitatem, & sanctos ad gloriam vocas; largire nobis, quæsumus, adjuvantibus pœnitentium suffragiis, ut qui beneficio tuo non ceciderunt, jungant innocentiam pœnitentiam; & qui ceciderunt, omnibus pœnitentiæ præsiis, & perpetuo lacrymarum baptismo revocatam mirabilius innocentiam pœnitentiæ jungant.

Vide Non dicam p. 71.

Ad sanctos Pauperes.

SANCTI Pauperes, divites in fide; qui oculos invisibiles accepistis, quibus veræ divitiæ videntur & amantur; dilecti à Deo, qui vobis hoc ipsum elegit quod Filio unico elegerat, & veram paupertatis beatitudinem, de quâ fortè comparandâ non cogitassetis, ultrò vobis ingessit, ut vobis non liceret non esse felices; in aulâ Christi pauperis mundo incognitâ principes, qui nudum in præsepi nascentem, nudum in cruce morientem, cum securæ & gloriosæ nuditatis ornamento secuti, procul à veneno omnibusque periculis divitiarum in sinu providentiæ delitescentes, Deum ipsum provisorem habuistis, pauperibus Evangelicis non multùm inferiores. Nobiliùs illi; sed vos humiliùs, & idcirco securiùs pauperes. Paupertas vestra, opus Dei; quod amando sancti fuistis, & nescio an non magis pauperes; ferè enim semper, qui paupertatem elegit, minùs egere solet, quàm quem Deus pauperem facit; orate pro nobis, ut cùm ex bonis mundi plura nobis deerunt, nos tunc magis à Deo diligi, & revera ditiores & beatiore esse arbitremur.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui paupertatem in Filio tuo consecrasti, qui pauper natus est, pauper vixit, & pauper mortuus est; da nobis amorem paupertatis amoris tuo tam amicū & naturalem, ut nihil amando bonorum transeuntium, charitati ferè semper nocentium, te unum amare mereamur; per Christum &c.

Ad sanctos Divites.

SANCTI, foris tantum divites, & intus pauperes; qui cœlesti lumine illustrati periculum divitiarum intelligendo, bona vestra sapienter timuistis, inde humiliores unde mundi divites superbiunt; qui cum sciretis, parum prodesse non amari divitias cum pauperes non amantur, illarum veneno charitate medentes, ex falsis & momentaneis somniantium divitiis, veras vobis æternasque divitias lucro immenso & inaudito comparastis; orate pro nobis, ne decepti divitias arbitremur, quas qui possident & amant, pauperiores & miseriores fiunt.

Oratio ad Deum.

DEUS, quo misericorditer ordinante, dives & pauper obviverunt sibi; miserere pauperum & divitum,

qui ad gloriam tuam & mutuam salutem in viâ charitatis tuæ ita sibi occurrant , se invicem , factâ permutatione utrisque utili, adjuvando , ut tamen divites longè magis egere se auxilio pauperum intelligant,quàm pauperes auxilio divitum , qui absque pauperibus sub onere Æternâ graviori non exonerati perirent.

Ad sanctos Servos.

SANCTI , non tam hominum servi quàm liberti Christi ; quos cùm ipsa conditio servos fecisset , charitas Dei liberos fecit , hîc servientes hominibus servitute momentaneâ & non verâ , in regno æterno Christi cum Christo regnaturi ; quos cùm mundus contemneret , Angeli suspiciebant & venerabantur : Vos, dominis vestris verâ nobilitate nobiliores ; quia similiores Christo , qui non venit ministrari sed ministrare. Servitus vestra , regnum fuit , sed mundo incognitum ; principibus tenebrarum , quibus mundus servit , imperastis , ambitioni verâ humilitate imperantes , & Deo subditi, cui servire regnare est; orate pro nobis , ut veram gloriam , non ex hominum opinione , sed ex Evangelio metiamur.

Oratio ad Deum.

DEUS, cujus sapientiâ & secreto consilio, vita ex morte, verus sui amor ex vero sui odio, & major libertas ex servitute nascuntur; da nobis christianos oculos, quibus mundi tam vilem fastum & stultam superbiam despicientes, quod hominibus altum est & coram te abominatio est fugiamus aut saltem timeamus; non alta sapientes, sed humilibus consentientes: ut cum humilibus, & Rege humilium Filio tuo regnare mereamur, qui tecum vivit & regnat &c.

DOMINE Jesu, qui venisti non ministrari sed ministrare; da nobis ut intelligentes quantæ sit in cælo dignitatis in terra famulari, serviri nobis ab aliis vero pudore erubescamus; servire autem, christianâ intus superbiam gloriamur.

Ad sanctos Milites.

SANCTI Milites, in ipsâ seculi militiâ Christo militantes, & fortes ex nobiliori fortitudine charitatis; qui sæpius armis adversarios, sed semper mundum & vos ipsos humilitate vicistis; quibus conspectu visibilium hostium, conspectum inimicorum invisibilium quos si-

des prædicat & pietas vincit, non adimebat; adjuvate nos precibus vestris; ut cum in duplici certamine, quod vobis erat & in mundo & adversus rectores mundi tenebrarum harum, tam vigilantes fueritis: nobis in unico certamine, quod pro animabus nostris suscipiendum est, nunquam desit sollicitudo charitatis, quæ sola fiduciæ christianæ & victoriæ causa esse potest.

Oratio ad Deum.

DEUS, cujus æquissimâ lege, militia est vita hominis super terram, ut cum in nobis ipsis & extra nos hostes nunquam desint, nisi legitimè certando vivere non possimus; largire nobis sapientiam evadendi, voluntatem pugnandi, & robur vincendi, te nobiscum pugnan- te & in nobis vincente, qui malitiam inimicorum nostrorum charitate, & superbiam humilitate superasti.

Ad sanctos Medicos.

SANCTI Medici, qui alios curando vos ipsos curantes, morbos corporum in salutem animarum vestrarum convertistis; qui in ægrorum infirmitate & tot morbis, propriam infirmitatem, & plures animæ morbos majusque periculum intelligentes, ad verum medicum hu-

miles confugiebatis , ut ægris ipse & medentibus mederetur; qui precibus animas , & corpora remediis adjuvantes , non minus compatiendo quàm medendo charitatem languentibus exhibebatis ; orate pro ægris , & Medicis ; & opem utrisque tam necessariam precibus vestris impetrate ; ut ægri christianè ægrotent , & Medici christianè medeantur.

Oratio ad Deum.

OMNIPOTENTISSIME Medice, quo curante nemo moritur , & quo non curante nemo vivit ; qui solus sanas quos etiam à medentibus sanari vis, cum ægris vires , scientiam medicis, & remediis efficaciam subministras, ægrorum medicorumque ipsorum vera & unica falus ; omnem utrorumque fiduciam in te unum converte ; ut nec ægris in medico , nec medicis in se , aut in præsiidiis humanis confidentibus , sanitatem simul omnes animæ & corporis ex eodem misericordiæ tuæ fonte hauriamus ; per Christum &c.

DA ægris , Domine , patientiam , assidentibus vigilantiam , & medicis singulare auxilium ; ut quidquid illis deesse potest ingenii, aut scientiæ & prudentiæ tam necessariæ ad medendum,

te miserante suppleatur patientiâ humilitatis, & mansuetudine ac diligentia charitatis.

Ad sanctos Agricolas.

SANCTI Agricolaë, & omnes sancti qui manibus vestris laborantes, in sudore vultûs vestri comedistis panem vestrum; & remedium generis humani tam necessarium, quod omnibus imperatum fuerat, soli, magno Dei beneficio accepistis: O vos felices, qui adversus peccatum medicinam efficacissimam Dei ipsius ore prolatam à Deo repetentes, superbix peccati laboris humilitatem, & voluptatis otio operandi fatigationem opposuistis. non minùs remedii quàm peccati primi parentis heredes, causam laboris in labore cogitando justiciam Dei honorantes, ejus misericordiam affecuti estis; orate pro nobis, ne unquam nos deprehendat inimicus otiosos.

Oratio ad Deum.

DEUS, à quo laborandi necessitas homini jam reo justissimè imposita est, ut obediendo legi, & æquissimæ poenæ se subjiciendo, à culpâ jam liberari inciperet, quam non obediendo contraxerat; da nobis timorem omnis otii non christiani, & amorem poenitentix,

& laboris, qui vix potest à poenitiâ separari; ut fideliter & humiliter laborando, ad amissam patriam redire mereamur, in quâ vera quies & nullus labor; per Christum &c.

Ad sanctos, desiderio Martyres.

SA N C T I, non effectu quidem, sed affectu & voluntate Martyres; quibus exilium pietatis causâ ab hominibus imperatum, non poena fuit ignominia, sed corona victoria; miseremini nostri, quos à virtute vestrà tantùm abesse, aut crimen aut saltem pudor est. Passioni non defuistis; sed vobis passio defuit. Tantam fortitudinem vestram, & paratum cor ad omnia expertus inimicus, noluit vobiscum amplius congregari; & cautè ultimum prælium subterfûgit, in quo turpiùs vinceretur. Sed heu! in tantâ calamitate temporum, nobis passio deesse non posset, nisi nobis deesset voluntas patiendi. Turpi fugâ omnium incommodorum, & ignaviâ nostrâ abundè contentus est inimicus. Satis vincimur, qui nihil pati volumus; & timendum est, ne nos tanquam suos numeret, in quibus nullum crucis amorem deprehendit, & quibus ejus fugam gratulatur, & gaudet. Væ nobis. Qui fugiunt crucem, quem fugiunt, nisi Christum; & ad quem con-

fugere possunt nisi ad inimicum Christi.

Exilium nostrum nobis placet, & vestrum vobis placuit; sed heu quam dissimili de causâ! Amabatis exilium, quia amabatis Christum, pro quo pati gaudium erat amantibus; in nobis verò, amor vitæ hujus & exilii nostri, amorem mundi arguit. Amamus exilium, quia Christum non amamus; & (quod vel dictu turpe est,) mundum nobis potius præsentem esse hic vivendo, quam Christum moriendo, stultè, & utinam non impiè, eligimus. Deum rogate, tantæ infirmitati parcat, ut tandem nobis non parcere incipiamus. Grave sit nobis exilium, in quo peregrinamur à Domino; ut si se offerat occasio, exilium pietatis causâ non reformidemus. Hanc gloriam vestram, vobis hoc à Deo impetrantibus, æmulemur; & corde magno atque animo volenti verè dicamus: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; ut gratiam hanc singularem, vobis à patre luminum concessam imitando veneremur.

Ad sanctos incognitos.

SA N C T I, mundo incogniti, quibus dignus non erat mundus; cui poena fuit, vestræ virtutis exemplo privari, vobis autem præmium & securitas; quos à pluvîâ & turbine, in abscondito faciei

suæ misericors Dominus occultavit, ut ab insidiis seculi nequam eriperet: tantum Deo viventes humilitate latendi, superbum diabolum fefellistis, thesauro vestro non invidentem, sapienter in corde concluso; extra mundi naufragia, in portu quodam vitæ communis tanquam in turre fortissimâ, omnem inferni potestatem effugistis, cum nihil in vobis magnum esset & eminens quod mundus videret, magna autem omnia & Deo digna quæ intus invisibilibus ejus oculis servabatis; orate pro nobis, ne quasi depredari desiderantes, publicè thesaurum portemus in viâ quæ latronibus infesta est.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui vides in abscondito; qui non vides quod omnes vident; & cui abominatio est quod hominibus altum est; da nobis interiores oculos, quibus pulcritudinem tuam quamvis imperfectè conspicati, nec mundum amplius videre, nec amplius à mundo videri velimus. Per Dominum &c.

Ad sanctos ultimorum temporum.

SANCTI ultimorum temporum, in diebus nivis vestiti duplicibus; qui veri David membra frigescentia & se-

nescentia, abundantiori Spiritûs sancti calore confovendo recreastis; quos liberavit Dominus de ore leonis; qui ipsa videndi, audiendi, & nobiscum conversandi necessitate picem tangendo non inquinati estis; inter infirmos fortes, inter superbos humiles, inter avaros & voluptuosos paupertatis & poenitentiae amatores; laudate Dominum, & orate pro nobis, ut inter tot scandala & pericula animarum illæsi transeamus, confidentes in eo qui vicit mundum, & sine quo non vincitur.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui sanctos tuos, licet in ultimis his temporibus natos, liberaſti à vitiis ultimorum temporum, cum spiritu tuo pleni, non seipsos sed te unum amaverunt: da nobis, adjuvantibus eorum meritis, imitari quod vidimus: ut hæc sit unica sollicitudo nostra, minuere cupiditatem quâ refrigerat charitas; & magis ac magis augere charitatem, quâ minuitur & extinguitur cupiditas; per Christum &c.

Ad sanctum Joannem-Baptistam.

SA N C T E Joannes Baptista, qui tam innocens tantam egisti poenitentiam; intercede pro nobis, ut qui inno-

centiam tuam imitari non possumus ,
 poenitentiam imitemur ; dignos ejus fru-
 ctus sic facientes , ut quod aliis virtuti-
 bus deerit , dignâ saltem humilitate
 compensemus ; per Christum , &c.

Oratio ad Deum.

DOMINE Jesu , qui sancto Joanni
 Baptistæ qui tibi testimonium per-
 hibuerat , hoc ipse gloriosum testimo-
 nium perhibuisti , quod in eo fecissent
 quæcunque voluissent : da nobis , quæ-
 sumus , eo intercedente , ut non curæ sit
 resistere temporalia hæc & vitam ipsam
 eripere volentibus ; ut thesauri potioris
 direptionem aggredientibus , qui in fide
 nostrâ repositus est , toto corde , & ideo
 libero resistamus ; eligentes potius hu-
 miliari cum mitibus , ne veritatem hu-
 miliari contingat , quàm periculum no-
 strum illius periculo redimere : hunc te
 nobis dante intellectum ut credamus ,
 quia pro eâ humiliari , vera gloria ; pro
 eâ captivari , vera libertas ; & pro eâ mo-
 ri , vera vita est ; qui cum Patre & Spiri-
 tu sancto vivis & regnas , &c.

De sancto Paulo.

DEUS , qui sanctum Paulum ex
 persecutore Apostolum faciendo ,
 quid gratia tua posset , antequam illam

gentibus prædicaret, ostendere voluisti; da nobis, ut qui Ecclesiarum omnium sollicitudine, & continuis animi & corporis laboribus nullam requiem habuit, omnibus omnia factus, pro omnibus gratias agens, pro omnibus orans, & pro omnibus quotidie moriens; hoc à tuâ misericordiâ nobis obtineat, ut in solo charitatis labore aut otio, prout volueris, requiescentes, non nobis sed tibi & fratribus nostris vivamus, empti sponso & sponsæ sanguine sponsi, qui tecum vivit &c.

DEUS, qui sancto Paulo securitatem in periculis, charitatem in scandalis, & virtutem in infirmitate perfecisti; da ut piâ ejus intercessione, mala aliorum & nostra nobis proficiant ad salutem; & ne frustra fortes simus aut infirmi, da nobis fortitudinem laudantem te, & infirmitatem nihil à se, sed omnia à tuâ misericordiâ sollicitè & humiliter expectantem; per Dominum, &c.



L I T A N I Æ

De sancto Joanne Evangelista.

SA N C T E Joannes, Dominici pectoris particeps, qui inde hausisti Theologiam, unde hausisti amorem, ora pro nobis.

Sancte Joannes, qui duplicem thesaurum in cœnâ & in cruce solus reperisti; in Cœnâ pectus Christi, & in Cruce Matrem Christi, ora.

Sancte Joannes, cui tanquam Virgini datum est Virginem habere matrem, & matrem Dei, ora.

Sancte Joannes, qui Cruci Mariam debes, & qui matrem non haberes matrem Dei, si Crucem morientis horruisses, ora.

Sancte Joannes, qui fuisti filius Crucis ut esses filius Virginis, & vel hinc pateret, Crucem quantumvis amaram fructus afferre dulcissimos, ora.

Sancte Joannes, qui matri Verbi non tantum filius fuisti sed nutritius & pater, pascens eam verbo Dei & Eucharistiâ Filii ejus, ora.

Sancte Joannes, quem diligebat Jesus; Discipule veritatis, & Magister amoris, ora.

Sancte Joannes, Prædicator dilectionis, qui nihil aliud docebas, ut hoc ma-

gis doceres, nihil aliud esse discendum ,
ora.

Sancte Joannes , qui magnus fuisti
contemplatione , sed major amore ; quia
feliciter est thesaurum possidere quam in-
tueri , ora.

Sancte Joannes , qui majorem horum
non habuisti gratiam , quàm ut audires
filios tuos in veritate ambulare ; securior
in dilectione fraternâ quàm in contem-
platione Dei , bono nostro plus gaudens
quam tuo , ora.

Sancte Joannes , qui ut dignè nos pas-
ceres verbo Dei , & jejunare ipse , & Ec-
clesiam ipsam jejunare voluisti , ora.

Sancte Joannes , cujus Theologia nec
sublimior esse potuit , quæ ad Verbum
usque in sinu Patris evecta est ; nec hu-
milior , quæ ad Verbum carnem factum
descenderit , ora.

Sancte Joannes , qui Magistrum tuum
imitatus , errantem miserè ovem sollici-
tus quæisivisti vel inter latrones , & in-
ventam lætus propriis humeris reporta-
sti , ora.

Sancte Joannes , qui fuisti Apostolus,
Evangelista , Doctor Ecclesiarum , Pro-
pheta , & Martyr , ora.

Sancte Joannes , exemplum innocen-
tium , & consolatio pœnitentium ; qui
non minus fuisti magister pœnitentiæ

quàm charitatis, ut ostenderes neminem magis amare quàm qui adducit ad pœnitentiam, ora.

Sancte Joannes, quem opus non fuit Martyrem esse passione, qui fuisti Martyr amoris, ora.

SANCTI, qui per viam charitatis pervenistis ad patriam veritatis, orate.

Sancti, qui amando transistis de morte ad vitam, ut adhuc perfectiùs amaretis, orate.

Sancti, qui in ipso charitatis opere mortui estis; & sic non estis mortui, quia non moriuntur qui amant, orate.

Sancti, qui in ipso fraternæ charitatis ardore morientes, nihil mortis in morte ipsâ invenistis, orate.

Sancti, quos ipsa mors vitæ conjunxit, cum invenit amantes, orate.

De sancto Augustino.

DE U S, qui in sancto Augustino ostendisti quid posset natura corrupta, & quid posset tua gratia; da nobis tam perfectam miseræ nostræ & misericordiæ tuæ scientiam, ut nihil à nobis, sed omnia à te expectantes, perfectè in te semper speremus, & perfectè de nobis desperemus.

DE U S , qui sanctum Augustinum tuâ charitate flagrantem , & veritatis contemplatione supra humana eventum , Ecclesiæ tuæ lucere & ardere voluisti , quam scientiâ & sanctitate defenderet & solaretur ; da nobis piis ejus intercessionibus , ut tantæ virtutis imitatione , nullo gaudio nisi veritatis , nullo fructu nisi charitatis delectati , mortalem vitam vitæ divinæ gustu & experienciâ facile contemnamus ; ut te unum amantes , te uno beati simus ; per Dominum nostrum , &c.

De sancto Ludovico.

DE U S , qui das salutem Regibus , & cui tantum à Regibus verè ministratur ; fac nos sancti Regis precibus , vero mundi contemptu veros Reges ; ut tibi sicut volueris ministrare , & salutis tuæ ac regni tui participes esse mereamur.

De sanctâ Mariâ Magdalenâ.

DO M I N E Jesu Christe , Salvator mundi ; qui cum iter faceres per civitates & castella , prædicans & evangelizans regnum Dei , indulgisti Mariæ Magdalenæ , ut amoris , grati animi , & piæ erga te sollicitudinis officiis emereret inter mulieres , quæ curatæ ab infirmitatibus

tibus sequebantur te , ministrantes tibi ; da ut sequar te quocunque ieris , ministrans tibi de facultatibus meis (si quas ancillæ tuæ contuleris,) & reddens Domino meo, dona sua, hoc teipso largiente ut reddam. Sequar & usque ad crucem, & ascendam tecum Jerosolymam ; ubi enim feliciùs staret Magdalena, sive quæcunque mulier quam sanaveris, nisi juxta crucem cum matre tuâ. Hic stem , Domine , sumptâ à cruce morientis audaciâ ; nec me terreant qui crucifigunt, sed invitet qui crucifixus est. Sim testis mortis , tecum patiendo ; ut sim testis resurrectionis , non amplius moriendo.

Sed quomodo testis essem resurrectionis, nisi venirem ad monumentum. Non impediatur , licet adhuc tenebræ sint , lucem visura in sepulchro ; Quicumque enim tecum confepultus est , absque vero lumine esse non potest. Utinam , Domine , sic resurgerem , ut nunquam desererem sepulchrum tuum , Angelorum contenta consortio , cui contraria est consuetudo vitæ mortalis. Non facile Angelos videt , qui aliud videre vult ; & minus beatis Spiritibus familiaris est , qui cum hominibus conversatur.

Da mihi ergo , Domine , ut nunquam intrem in sepulchrum meum, quia locus est corruptionis ; & nunquam egre-

diar de sepulchro tuo, quia locus est quietis, & schola beatissimi otii in quâ ad immortalitatem erudimur. Sed si exeundum erit; da ut non exeam nisi locutura Apostolis tuis, nec locutura nisi de resurrectione. Et quanquam sic utile sit exire de sepulchro; da ut non exeam nisi mox reversura, nihil præferens otio sponsæ nisi teipsum.

Dic mihi etiam, Domine, sicut dixisti amantissimæ mulieri: *Noli me tangere*; ut jam non cognoscam te secundum carnem. Non avida sim tactûs & cujuscunque consolationis humanæ, habens solatium spei divinæ. Non te tangam, Domine, sicut tangunt ii quibus nondum ascendisti ad patrem tuum, ut ibi te tangam. Tangeris fide, tangeris cordis munditiâ, tangeris charitate. Da mihi pennas sicut columbæ; ut evecta per te super consuetudinem sensuum, tangam te in altissimis, in quibus glorificaris, & quò non ascendunt nisi humiles. Ibi tangam te, sicut tangit te sponsa, sic tuis beata deliciis ut omnes mundi delicias meliori gustu fastidiat. Ibi te tangam fide tam plenâ, ut *meiipsius oblita*, nec tangam meipsam; vacua humanis, ut impleri merear divinis, per Spiritum tuum, qui cum Patre tecum vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Ad

*Ad sanctam Mariam
Bethanitidem.*

O FELIX Virgo , quæ , donante Christo , optimam partem elegisti , à te non auferendam ; fave clientibus tuis , & adjuva me. Ipsa quoque optimam partem elegi ; quia ut eligerem , gratiâ Dei mei præventa sum ; sed timeo ne auferatur à me , quia in statu perfecto imperfecta sum. Pars quidem optima electa est ; sed non ideò bona , quæ elegit ; & tanto indigna beneficio , proxima est periculo amittendi. *Unum est necessarium* , & multis occupamur. Negotium charitatis cedit interdum negotio vanitatis , & rerum transeuntium , quæ feliciùs succedunt contemnentibus quàm sollicitè curantibus. Pars optima à malitiâ diei corrumpitur ; hinc periculum , ne auferatur à nobis regnum Dei , & detur genti facienti fructus ejus. Subveni tanto periculo , & roga sponsum ut nil aliud quàm sponsæ simus.

Quæ Martha est , virtutis profectu affurgat aliquando supra seipsam ; sed nunquam infra se descendat Maria. Nec sollicitæ sint , nec turbentur quæ ministrant ; quantò magis quæ Deo vacant. Imitentur Mariæ Mariam. Nil aliud quam sedebas secus pedes Domini , au-

diens verbum illius; surgant qui aliud noverunt utilius quiete sponsæ, gloriosius pedibus sponsi, aut melius verbo Dei. Quò iremus relinquentes sponsum; aut quæ superesset vitæ spes, non audientibus amplius verba vitæ æternæ? Hoc unum oramus Patronam nostram, ut solummodò sollicitæ simus circa unum; aut potius nequidem sollicitæ simus; quia non tam curâ & sollicitudine quàm spe & humilitate ad illud unum pertingitur, in quo jam tota exultas inter amplexus sponsi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Oratio ad Deum.

DEUS, qui in Mariâ optimam partem eligente, docuisti nos unum tantum esse necessarium: da nobis, illâ intercedente, ut falsis mundi necessitatibus non decipiamur; ne vana & superflua pro necessariis habentes, necessaria salutis æternæ, quæ sola necessaria sunt, pro superfluis, aut saltem minus necessariis habeamus.

Educ, Domine, de necessitatibus animam meam, seu veris seu falsis; & quascunque alias necessitates, unius & solius necessitatis salubris cogitatio ita destruat, ut præter amorem tuum nihil nobis ne-

cessarium videatur ; qui cùm abest , omnia defunt & omnia nocent ; cùm verò adest , nihil deest & omnia profunt.

De Peccatrice Pœnitente.

DE U S clemens & misericors , qui Luc. 7.
37.
Peccatricem proposuisti in exemplum pœnitentiæ & amoris ; da nobis imitari pœnitentem & amantem. Ubi-
cunque audiero accumbere Dominum meum , religiosâ festinatione accurram. Nec spernam domum Pharisei , propter tantum convivam ; nec curem fastidium ejus , dummodo osculer pedes tuos. Stem retrò , nolens videri ab hominibus , & tantùm quærens videre Salvatorem meum. Non desinam rigare lacrymis pedes Domini mei & osculari , ut compuncta propter fletum , & læta propter osculum , jungam tristitiam pœnitentiæ gaudio spiritûs tui ; atque ita , nec lacrymis dejecta , nec osculò elata , adhæream semper vestigiis tuis.

Deus misericordiarum , qui peccatricem remisisti peccata multa quoniam dilexi multùm , largire nobis abundantiam charitatis tuæ , quæ operiat multitudinem peccatorum. Remitterentur nobis peccata multa , si multùm diligeremus : sed cùm magna sint peccata & charitas parva , ingens morbus tam inæquali reme-

dio non solvitur, & breve pallium tantam nuditatem operire non potest. Quid nos ultrò fallimus? *Si laverimus nos niro, & multiplicaverimus nobis herbam Borith, maculati sumus in iniquitate nostrâ coram te; nec ablui potest nisi in spiritu ardoris.*

Jerem. 2. 21. *Nulla alia remedia sufficiunt: Plaga nostra insanabilis, nisi charitate sanetur. Non amando te, cecidimus; nec surgere possumus, nisi te amando. Quàm suave remedium, Deus meus, amore sanari, & tuo amore! Tam insipientes sumus, ut nec sic nobis placeat sanitas nostra, quæ etsi per se minus optanda esset, ob remedium optaretur.*

Sana me, Domine; sed sic sana, & sanabor. Peccatricem lego; non aliam audio poenitentiam. Justus es, Domine. Remedia tua magis quàm te poscentibus, te ipsum negas, sine quo non profunt. Alia remedia, solùm remedia sunt; charitas verò, Medicus est; neque enim poenitentia sed *charitas* es. Ante ipsam felicitatem quam polliceris, quanta jam felicitas per te sanari, cum charitate sanamur! Ipse remedium ægrotantis, ipse præmium sani. Nullum remedium respiciam, Deus meus, quod imperaveris; sed fiducia mea in charitate sit, quæ sola medetur, & quæ aliorum omnium remediorum tota vis est. Plus de medi-

co meo sperem quàm de quocunque remedio; & ipse mihi Medicus remedium est, cùm sanat amando, quia amor est. Etsi non eadem esset ratio sanandi alios, sponsas tamen tuas deceret amore sanari. Quam infelices essemus, si cum alios omnes sanet sponsus quicunque sanantur, non ipsum nos magis in auxilium vocaremus, quæ sponsæ sumus!

Amem te, Deus meus; sed multùm amem, quia multùm ægroto; & ad omnem sanitatem sufficit mihi amor tuus. Imò delectet me magis remedium tuum, quàm sanitas mea. Sed ipsum hoc remedium sanitas est, & vita est, & sola felicitas. Remedium est, quia sanat: vita est, quia non aliundè vivimus, & sine eo morimur: felicitas est, quia cum illo caremus, nullum malum deest, & miserrimæ sumus; cùm illud possidemus, omne bonum adest, & felicissimæ sumus. Amplius lava me, ut amplius amem te. Amem te, Domine, quia sponsa sum. Amem te, quia ægra sum. Amem te, quia pereor. Amem te, ne peream. Amem te, ut sim ubi es, & beata sim, sed de te, quæ major beatitudo est, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

O Sancta Peccatrix, quæ virgines ip-

fas verâ virginitate antecedis, intus virgo, & ideò virgo quia sponsa Christi, *s. Paulin. cui conjungi virginitas est*; pœnitentium Patrona & virginum; adjuva me ancillam Christi apud Christum.



CANTICUM SPONSÆ,

SEU

SPECULUM VIRGINUM.

CONFITEMINI sponso virginum, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. Alleluia.

Confitemini sponso virginum, quas ipse virgines fecit, & quæ illi non solâ carnis integritate, sed maximè charitate integrâ placuerunt. Alleluia.

Confitemini sponso humili sponfarum humilium; quæ nunquam in carne gloriantur, nisi quando confessioni fidei, aut pœnitentiæ salutari impenditur. Al.

Confiteantur sapientiæ sapientes virgines, cui desponsatæ sunt, & cui non solùm corpore & mente, sed oculis, auribus, & accuratâ sensuum omnium & passionum custodiâ consecrantur. Al.

Sponsum sponsæ benedicant, quæ Martyribus similes, & *virtute ad tolerandum proximâ, & ad gloriam mercede secundâ donatæ sunt.* Alleluia.

Sponso confitemini sponsæ, quæ quod futuri sumus, hoc jam esse cœpistis. Al.

Laudate sponsum, & sponsas ejus, *stabiles in fide, humiles in timore, & in charitate perfectas.* Alleluia.

Crucis amatrices, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraternâ pace & atque unitate concordēs. Alleluia.

Laudate sponsum in sponsis, quarum tam humilis modestia, & tam religiosus pudor, ut ex ipso aspectu virgines intelligantur. Alleluia.

Sapientes virgines, & sponsæ non fictæ in charitate non fictâ. Alleluia.

Quæ non diligunt quod videtur, quia quod videtur non æternum est. Al.

Quæ non solum vivunt ut morituræ; sed adhuc magis ut victuræ, per gloriam Dei quotidie moriuntur. Al.

Quæ benedictæ à Deo & benedicentes Deum, crescunt usque ad mensuram plenitudinis Christi. Alleluia.

Quibus, ita amatis, & ita amantibus, nulla pœna est in mortē; sed potius magna pœna est non mori pro dilecto. Al.

Benedictus Deus, cujus dono, virginitas breve tempus, quod conjugati adhuc in tam multa miserè & abjectè partiuntur, totum tibi & sibi insumit ad

gloriam.

Alleluia.

Qui tribulationem carnis à quâ liberantur, vertis in gaudium animæ; ipsamque carnem, anticipatione quâdam futuræ gloriæ, suprâ humanæ corruptionis conditionem evexisti. Alleluia.

Mitis Agni mites sponsæ, quæ sequimini Agnum quocunque ierit; quia fidei imitatione id studetis agere quod egit, & pati quod passus est. Alleluia.

Quæ sanctitate perfectâ, sanctæ estis corpore & spiritu; ut totæ illius esse possitis, qui totus est vester. Alleluia.

Quæ feliciori curâ nihil curatis, nec mundo sollicitæ estis ad ærumnam, ut Deo sollicitæ sitis ad gaudium. Alleluia.

Quibus ita placet sponsus, ut nihil aliud cogitetis, quàm quomodo illi placere possitis. Alleluia.

Quarum omnis cogitatio veritas, omne desiderium charitas, & omnis spes æternitas. Alleluia.

Quæ ab omni rerum caducarum amore absolutæ, non impeditis & liberioribus alis geminæ charitatis, ad sponsum evolatis, perpetuæ amatrices, & ideo perpetuæ contemplatrices. Alleluia.

Quæ curritis in viâ sponsi, & currentes cantatis, cantantes amatoria patriæ vestræ. Alleluia.

Quæ virginitatem elegistis, non tan-

tùm ad amandum , sed etiam ad patien-
dum ; virginitatem , gaudium Marty-
rum & Martyrum matrem , quæ non so-
lùm *in Martyribus reperitur , sed & ipsa* S. Ambr.
Martyres facit. Alleluia.

Quæ non tantùm sicut Angeli non
nubunt , sed sicut Angeli silendo & aman-
do loquuntur , & amando ministrant
Regi æterno , qui facit ministros suos
ignem urentem. Alleluia.

Quæ Angelis feliciores , id habent à
gratiâ , quod angeli à naturâ , ut tantùm
in Domino glorientur. Alleluia.

Illustrior portio gregis Christi , & lilia Ec- S. Cypri.
clesiæ , quibus sponsus & sponsa coro-
nantur. Alleluia.

Quas non minus sacrum velum , & so-
litudinis amor in quâ sponso fruuntur , ab
oculis mortalium eripiunt , quàm ange-
los natura corporis expers. Alleluia.

Beatæ mercatrices , quæ inventâ gem-
mâ Evangelii , veræ pulchritudinis ef-
fectrice , omnia vendidistis , ut tali or-
namento Regi æterno placeretis. Al.

Quæ cum sponsum in cœlo regnan-
tem invenerint , nihil amplius in terrâ
quærunt , & nihil aliud videre patiuntur
in quo sponsum videre non possint. Al.

Quarum omne bonum charitas spon-
si , cui amore junguntur ; amore pulchræ,
amore fortes , amore virgines , amore

matres , amore humiles & excelsæ. Al.

Quibus amor ad omnia ita sufficit , ut nihil illis sufficiat præter amorem. Al

Quæ sensuum vitam oderunt , ut unus sit illis sensus & sola vita , crux & amor sponsi. Alleluia.

Quibus, cùm earum amor sit crucifixus , nihil magis suspectum est , quàm nihil pati. Alleluia.

Quibus amor sponsi omnem defensionem in omni bello præstat , amando pugnantibus , amando vincentibus , & amando quietis. Alleluia.

Quæ in similitudinem Ecclesiæ & Mariæ (quia utraque & mater & virgo est) & ipsæ hoc privilegio gaudent , ut virgines sint , & matres ; virgines sibi , eminentiâ castitatis ; & matres nobis , abundantiam charitatis. Alleluia.

Paupertate ditiores , abjecto omni cultu pulchriores , & contemptâ mundi sapientiâ Deo sapientiores effectæ. Al.

Quæ in agro paupertatis , invenistis thesaurum virginitatis. Alleluia.

Quæ divitias exitii nostri in divitias salutis convertistis. Alleluia.

Quæ relictis domibus & possessionibus mortis , munimenta immortalitatis vestræ construxistis in fide , spe , & charitate sapientiæ incarnatæ. Alleluia.

Sponsæ amatrices sponsi amantis nos,

quarum omnis actio & quies, amare & laudare. Alleluia.

Sponsæ, Deo & de Deo divites, humilitate & charitate misericordes. Al.

Quæ verâ simplicitate non hærentes rebus terrenis, & verâ sapientiâ mundo stultæ, supra mundum assurgitis contemnentem, quia vobis dignus non est mundus. Alleluia.

Pœnitentiâ tutæ, patientiâ fortes, silentio quietæ, & zelo ferventes. Al.

Quæ sedentes ad pedes sponsi, quietæ ab actione & intentæ in veritatem, intentæ verbi dulcedini, optimam partem elegistis. Alleluia.

Quibus solitudo umbraculum est ab æstu, & defensio à turbine; quæ vel cognosci timent, Dei incogniti, & in maximis quibusque mysteriis latentis, sponsæ latentes. Alleluia.

Humanæ gloriæ impatientes, quæ nihil sibi minùs licere putant quàm gloriari nisi in sponso, cùm de humilitate sponsi vivant. Alleluia.

Sponsæ veritatis, quæ non errant in viâ, cùm via illis factus sit ipse sponso. Al.

Amatrices unitatis & æternitatis, ut uni & æterno Deo & sponso valeant inhærere. Alleluia.

Quas nec superbas nec imperitas esse patitur humilis sponso, & Sapientia

S. Berni;

sponsus.

Alleluia.

S. Aug.

Quæ non nisi patientiâ silentii , *tran-*
seunt ad summam pacem , ubi summum est
silentium.

Alleluia.

S. Ignat.

Quæ discipulæ Christi , nihil aliud
desideratis , ut illum amplius desidere-

Alleluia.

Quæ non deficitis in laudando , quia
non deficitis in amando.

Alleluia.

Quæ satiari non potestis laudibus
sponsi , quia quantò amplius illum lau-
datis , tantò magis vobis dulcescit quem
laudatis.

Alleluia.

S. Aug.

Quæ in medio fluxu rerum transeun-
tium , *non aufertis oculum ab eo qui semper*
manet.

Alleluia.

Quæ difficultates & molestias viæ an-
gustæ superatis latitudine charitatis. *Al.*

Quæ intelligentes tribulationem exi-
lii sui , patienter vivunt & cum gaudio
moriuntur.

Alleluia.

S. Aug.

Quarum vita laus est sponsi , quia ea-
rum vita amor est sponsi : *Cantant enim*
quia amant.

Alleluia.

Columbæ volantes ad cavernam macerix ,
& quiescentes in foraminibus petrx ad
gemendum.

Alleluia.

Sponsæ imitantes silentium sponsi , &
quæ sponsus fecit silens , quæ digna sunt
sponso.

Alleluia.

S. Hil.

Stella suspensa in firmamento scriptura-

rum, quæ manentes in ordine & cursu suo, pugnant adversus hostes Ecclesiæ cum armis pœnitentiæ & lacrymis charitatis.

Alleluia.

Novæ Judith, sed fortiores, quia virgines; quæ adversus invisibilem Holofernem invisibilibus armis pugnantes, subveniunt ruinæ ante conspectum Dei.

Alleluia.

Utrâque Annâ veteris Testamenti feliciores, quia ad hunc dignitatis gradum nec conjugatæ ascendunt nec viduæ; assiduæ in templo, sed sanctiori, jejuniis & obsecrationibus servientes die ac nocte.

Alleluia.

Filiæ & imitatrices Virginis matris, sponsæ & virgines, quæ omnia verba sponsi conservant in corde tuo, ut inde vivant & gaudeant.

Alleluia.

Cooperatrices veritatis, & adjutrices Ecclesiæ, quæ tormina parientis sentiunt, & gaudium partûs, cum regeneratus est homo in mundo.

Alleluia.

Omnibus bonis & malis mundi superiores, quæ nulla alia lucra & damna noverunt, quàm lucra & damna Ecclesiæ.

Alleluia.

In quibus amor non excludit castum timorem, & ipse timor auget amorem ac conservat.

Alleluia.

Quarum panis, Christus; vinum,

*ebrietas Spiritûs; hereditas, regnum cœ-
lorum.* Alleluia.

Sponsæ Verbi, quæ verbo non tran-
seunti adhærent non transeundo, immo-
biles in spe Evangelii. Alleluia.

Quarum peccata quibus non carent
justi, ob majorem humilitatis gratiam;
etiam in ornamenta vertuntur. Al.

Columbæ in nidulo solitudinis *nu-
trientes pennas de præceptis Domini, & re-
cipientes alas per charitatem, quas amisimus
per cupiditatem.* Alleluia.

Cives cœlestis Jerusalem, quæ omnia
gaudia vanitatis odiendo, immortalium
deliciarum matrem inveniunt sapien-
tiam, ut castis atque æternis veritatis
plexibus delectentur. Alleluia.

Sapientes Virgines, quæ in consuetu-
dine corporum aggravantium non dor-
mientes, ornant lampades oleo plenas, ex
desiderio adventûs sponsi. Alleluia.

Quæ Christum intûs loquentem tam
diligenter audiunt, ut mundo, & cui-
vis aliud quàm Christum loquenti surdæ
sint. Alleluia.

Quæ, omnes sincerâ charitate amando,
nihil amant præter Christum, quia totæ
sunt Christi. Alleluia.

Quæ cùm in unitatem Christi se im-
merferint, vinci non possunt, quia non
vincitur Christus. Alleluia.

Quæ consilia inimicorum, ob eminentem Christi scientiam feliciter ignorantes; fabricantibus supra dorsum peccatoribus, ad tanti oneris non respiciunt magnitudinem, & ferè præ magnitudine amoris non sentiunt. Alleluia.

Quæ beatâ oblivione populi sui, non obliviscuntur sponsi, cujus memoria vita est recordantium. Alleluia.

Quæ intùs pulchræ, non curant foris deformes videri; Deo vel magis approbante internam & veram pulchritudinem, cùm externam & falsam deformitatem magis homines reprehendunt. Al.

Amatrices mortis, & vitæ suæ inimicæ, quæ veræ vitæ impedimentum est; quia cùm humana conjugia, tantùm in vitâ locum habeant, & morte dirimantur: Dei sponsæ ab eo separantur quandiu vivunt, cui morte junguntur. Al.

Tam liberæ, ut omnem libertatem oderint, quæ ad hoc non prodest ut perfectiori servitute sponso suo subditæ sint; tantò magis liberæ, quantò magis captivæ. Alleluia.

In vitâ anxie, in morte securæ; quia quandiu vivunt, in præsentibus versantur periculo moriendi; cum post mortem nullus sit metus nec vitæ nec mortis. Al.

Quæ maximè vivunt, cùm ipsæ non vivunt; quæ id securius volunt quod

ipsæ non volunt : nil magis formidantes
quàm fieri quod volunt , si Deus nolit.

Alleluia.

Quàm cautè timetis voluntatem ve-
stram, damnantem vos ; & quàm sapien-
ter amatis voluntatem Dei , quâ unâ
salvamus !

Alleluia.

Felices & invictæ , quæ in bello illo
suavissimo & omni pace præstantiori
vulnerant sponsum , & non minùs feli-
citer ab eo vulnerantur ; eodem amore
vincentes, quo ipsæ vincuntur. Al.

Vulneratæ charitate , & charitate sa-
natæ ; quarum vulnus tam pretiosum
est , ut humanum quòdcunque reme-
dium fastidiant , & ab eo tantum curari
possint qui vulnus inflixit. Alleluia.

Inimicæ omnis privatæ utilitatis, qui-
bus nihil utilius videtur , quàm amare
sponsum , & sponso placere. Alleluia.

Maximæ alieni omnis amoris inimicæ,
quæ nihil amant, quia verè amant, amo-
rem mundi superantes amore sponsi. Al.

Felices , quarum maximus dolor est à
sponso separari vitæ mortalis exilio; quod
tamen libenter patiuntur , quia id ipse
vult. Alleluia.

Quàm longa illis vita , in quâ non
fruuntur sponso ; & quàm brevis vide-
tur , dùm pro illo patiuntur ! Al.

Quàm perfectâ dissimilitudine à mun-

do alienæ; qui cùm Deo omnibus animæ & corporis sensibus bellum inferat, ipsæ eidem toto corde & toto corpore, amore pacis & pace amoris subjiciuntur. Al.

Innocentissimæ , quamvis non sine quodam mortalis viæ pulvere, pœnitentes ; quæ meliùs se vivere non posse arbitrantur , quàm semper gemendo & semper moriendo. Alleluia.

Magis illæ dolent quòd nondum perfectè amant à quo perfectè amantur , quàm alii quòd non amant : & id maxime dolent, si semper non doluerunt. Al.

Humiles justæ , quæ nihil magis admirantur , quàm ita amari vasa tantæ infirmitatis , à Deo tantæ potentæ & sanctitatis. Alleluia.

Virgines sponsæ virginis sponsi , secundus fructus Virginis matris , in quibus virgineus adhuc germinat partus. S. Pet.
Dam. Alleluia.

Semen è cœlo allatum cum igne cœli quem Christus venit mittere in terram , quod fructum affert centuplum è terrâ sanctificatâ , nec terrenæ originis. Al.

Regis regum cantatrices , quarum canticum nemo cantat , quia nemo similiter amat. Alleluia.

Eloquentissimæ oratrices , quarum vocem audire vult sponsus , quia vox est amoris ; eloquium enim sponsæ jucun-

ORATIONES

dum est sponso, quia verbum sponsi suave est sponsæ, & ab eâ amanter impletur. Alleluia.

S. Ther. Veræ sponsæ veræ pacis, quæ vero amore nihil magis timent, quàm falsâ pace seductas in vero bello reperiri. Al.

Sponsæ charitatis, quæ tantum timent, quantum amant; quarum omnis timor est, ne displiceant sponso, & omnis dolor, quia illi displicuerunt. Al.

Ancillæ Domini diligentissimæ, sed quæ tantum charitati & charitate famulentur; quarum omne studium & actio non intermissa, parare lectum sponso in cordibus suis. Alleluia.

Affiduitate orandi, humilitate obsequendi, fidelitate amandi, lectum illum dignum sponso per ipsum spiritum sponsi adornatis. Alleluia.

Ut sponsæ vitæ, nihil aliud optatis præter vitam, cui maximo ardore incorporari ambitis; ut in Verbo æterno inclusas, nil aliud vos cognoscere aut velle aliquando contingat, quàm quod à Verbo est, & Verbum est. Alleluia.

Nihil leve existimatis, quod sponso displicere potest; in iis quæ mundus contemnit, timidissimæ; in externis verò periculis, quæ mundus horret & fides videt, securissimæ; tunc nihil timetis, cum ille omnia timet. Alleluia.

Deliciæ mundi , dolor sponsæ : nec minùs suave est illi , quod magis mundo amarum est. Alleluia.

Quod sperat mundus , virgines timentis & in tantâ dissimilitudine gaudiorum , votorumque omnium , non tantùm lugent , cùm ille ridet , sed ob ea ipsa lugent ob quæ insanus exultat. Alleluia.

Veritatis veræ amatrices , quibus ita displicet quod ipsa non probat , ut in seipsis non dubitanter damnent , quod illam damnare cognoscunt : & ideo magis placent , quia sibi ipsæ non placent. Al.

Voluptatis inimicæ , cujus vim omnem cruce Christi armatæ gloriôsùs vincunt , quia nec ipsam vincerent , nisi se ipsas ante vicissent. Alleluia. S. Isid.

Bellatrices christianæ , quæ bella seculi nescientes , in quibus homines occiduntur , in spirituali bello , in quo mortui vivificantur , palmam ferunt. Al.

Quomodo non vincerent , cùm ab omnibus impedimentis liberæ , ferè non habeant unde vincantur ; & majoribus instructæ subsidiis , sponsum habeant cujus amore insuperabili omnia vincunt. Alleluia.

Emendatrices ignaviæ nostræ , quia cùm peccata nostra vulnera sint & morbus Ecclesiæ , illarum sanctitas utili quâdam compensatione , sanctissimæ matris S. Isid.
Pelus.

præcipua quædam sanitas est. Alleluia.

Sponsa Christi pulcherrima inter mulieres, quia non mulier, sed virgo; & sexum naturamque exuta, verbis vitæ

S. Ambr. æternæ sponso nubit æterno; sicque hominis nuptias reculando, æterna est. Al.

Mirabili abundantioris gratiæ fecunditate, felix naturæ sterilitas compen-

S. Ambr. satur; quia cum liberis careat, *omnes Ecclesie filios* velut foecunda mater pro liberis habet. Alleluia.

Cant. Quid non in sponsâ mirabile; quæ vel uno crine colli sui vincit; cujus vigilia, messis plena bonorum omnium; somnus ipse, sponsi excubiis felix, & lucro plenus; vita omnis, certamen gloriosum; & mors, triumphus æternus? Alleluia.

Quàm splendidi gressus tui, ob lucem veritatis! Quàm pulchri, ob speciem charitatis! Quàm firmi, ob præsidium humilitatis; & quàm tuti, ob charita-

S. Ambr. tem fraternitatis! Dum enim aliorum lapsus luges, tuos caves. Alleluia.

S. Ambr. Tota pulchra est, quia in totâ virgine
Cant. apparet virginis sponsus. Alleluia.

S. Ambr. Quid ea pulchrius quam Deus amat, & quæ Deum amat; quæ suis ipsa nævis & defectibus fit pulchrior; cui nostra militat deformitas; & cujus pulchritudinem augent ipsi operarii deformitatis, qui nihil aliud sunt quam operarii iniquitatis. Alleluia.

Gaudium virginis cœleste , quia con-
versatio cœlestis. Ærumnis enim terre-
stribus non potest esse obnoxia , cujus
tor in cœlo fixum est , *in quo est patria* S. Ambr.
castitatis. Alleluia.

Hortus in quo nihil perit florum im-
mortalium , quia conclusus ; *Conclusus* S. Ambr.
lave integritatis , loquendi verecundiâ , &
abstinentiâ gloriandi. Alleluia.

Status securus , & vel in exilio tam
misero jam beatus ; quem Deus ipse am-
pliori honore & diviniore *extollere non po-* S. Ambr.
terat , quam jubendo ut filius sibi æqualis de
virgine nasceretur. Alleluia.

Virgo sponsa crucifixi , quæ tota cru-
cifixa est , quia tota Dei est ; membris
omnibus Christo confixis in cruce clavis
timoris , & corde vinculo amoris. Al. S. Ign.

Virgo æternitatis amatrix , bona non
novit , *nisi quæ in æternum mansura sunt.* S. Cypr.
Sufficit illi divina paupertas , quæ post S. Chryl.
Deum pauperem , revera divina est. Al.

Utriusque vitæ participes , hominum
& Angelorum : nobiscum enim laboratis S. Aug.
in opere virtutum assiduo , & in sponso
vestro cum Angelis requiescitis in sancto
silentio. Alleluia.

Laudatis Dominum dulciùs , quem co- S. Aug.
pitatis uberiùs. Speratis feliciùs , cui servitis
instantiùs. Amatis ardentiùs , cui placetis at-
entiùs. Alleluia.

S. Cyp. *Quando fortior femina viris torquentibus invenitur ; quando ignes aut cruces aut ferrum vel bestias patitur ut coronetur ; illa sunt volis carnis pretiosa monilia , illa corporis ornamenta meliora.* Alleluia.

Ut cognoscas divitias sponsæ ; cognosce thesauros omnipotentiae sponsi , & amorem quo complectitur sponsam. Quàm sapientem esse oportet , quæ sapientiae infinitæ tam arcto vinculo conjungitur ! Quantâ luce veritatis coruscantem lucere , quam veritas ipsa sibi sponsam elegit ! Quàm justam , quæ in eodem cum sole justitiæ lecto requiescit ! Quàm amantem denique , quæ nupsit amanti.

Alleluia.

S. Basil. Ne præcipuæ sedes Angelorum qui ceciderant , vacuæ remanerent , virginitas ex hominibus angelos fecit. Ut enim matrimonium terram implevit hominibus ; ita virtutem illam quæ Dei & hominis conjugium novit , cœlum angelis implevisse non dubitamus. Alleluia.

S. Basil. Cor sponsæ , speculum sponsi ; in quo cum nihil aliud videtur , ipse videtur. Al.

Ut in matrimonio tribulatio carnis est , & abundantissima omnium arummarum omnis generis officina ; ita in virginitate , quæ spirituale quoddam Dei & virginis matrimonium est , maxima consolatio spiritûs reperitur. Beatitudo etiam illa.

st temporalis, felicitatisque æternæ spes
ertior, & gustus quidam quo omnia
rundi gaudia, mirum quantum supe-
antur. Alleluia.

Totæ Virgines, quia sapientes, cor-
us & animam & omnes sensus castissi-
no sigillo virginitatis, hoc est, sigillo s. Basil.
ponsi occupastis, cum oculos sigillo
udoris, aures sigillo prudentiæ ac timo-
is, os ipsum sigillo silentii, & omnia
embra sigillo mortificationis, virginita-
i & sponso virginum consecrare volui-
is. Alleluia.

Nullâ re magis sponso placere potest s. Basil.
onfa, quàm curâ placendi: & nulla ma-
or cura placendi, quàm si se illi quàm
millimam exhibere conetur. Alleluia.

*Gaudium virginum Christi de Christo, in S. Aug.
hristo, cum Christo, post Christum, per
hristum, propter Christum. Amen.*

VITANIÆ DE SANCTIS VIDUIS.

BEATA Noëmi, quæ mariti & libe- Ruth. 1.
rorum amissione felicior, quos mi-
rè lugebas, una ex aviis Christi esse
merita es, ora pro nobis.

Sapiens Thecuitis, verè vidua, quæ 2. Reg.
am Regis David, quamvis tam justam, 14.
d misericordiam convertendo, nobis
stendisti Deum facile flecti precibus
iduarum, ora.

3. Reg. 17. Sancta vidua , quæ pascendo Prophetam , mercedem Prophetæ recepisti ; & divitibus penè fame morientibus ditior facta es , nihil tibi reservando , ora.
4. Reg. 4. Sancta vidua , quæ consulente Elifæo maternæ pietati indulgente , vasa vacua à vicinis mutuata es , mox oleo libertatis implenda , quo filios tuos ab imminente servitute vindicares ; jam tum præfigurans , sollicitudine & piarum matrum charitate , quod postea docuit Apostolus , filios esse salvandos , ora.
- Judith. 8. Beata Judith , quæ in gloriosâ viduitate exemplar virginum & penè virgo , sexum virili fortitudine , mundum perfecto contemptu , & principem mundi in Holoferne, victricis castitate superasti, ora.
- Luc. 2. 36. Beata Anna , quæ ante Christum , vitam egisti viduæ christianæ , & ante Apostolos quodammodo Apostolatu fungens , Christum adhuc infantem amplexa annuntiasti omnibus qui expectabant redemptionem Israël , ora.
- Marc. 12. 43. Sancta vidua , quæ solâ paupertate locuples , elemosynas divitum , charitatis & paupertatis ipsius divitiis, Christo teste & laudatore , superasti , ora.
- Luc. 18. 4. Sancta vidua , quæ assiduitate orandi malum judicem flectendo , docuisti nos nihil non obtineri posse à sancto iudice, qui justitia ipsa est, sanctè orando , ora.
Sancta

Sancta Helena, quæ singulari privilegio crucem Christi invenire merita es, ut thesaurus Ecclesiæ, fidei & pietati viduæ deberetur, ora.

Sancta Monica, bis mater Augustini, quæ cum illum in dolore carnali mundo peperisses, in viduitate sanctiùs fecundior, iterum Christo & Ecclesiæ cum dolore spirituali & vivificantibus lacrymis peperisti, ora.

Sancta Imperatrix Pulcheria, quæ etiam in conjugio virgo, & mortuo conjugè, ad instar Virginis matris virginum vidua & virgo, tam nobile imperium utrâque hac virginitatis & viduitatis coronâ nobilitasti, ora.

Sancta Clotildis, quæ pietate tuâ Clodoveum Regem, Christi Ecclesiæ, jam fidelem filium ex persecutore conjunxisti; postea verò vidua, precibus assiduis, humilitate & omni genere bonorum operum, fidem quam in regno plantaveras ita confirmasti, ut sperari possit nullo unquam turbine avelli posse, ora.

Sancta Paula, quæ cum scires, viduas quæ in deliciis vivunt, verè mortuas esse: calcatis sanctâ severitate omnibus deliciis, mundo verè moriendo, verè Christo vixisti; mortalis vitæ, ob spem vitæ immortalis, sublimiter negligens, ora.

Sancta Marcella, quæ secundas nuptias, quamvis mundi iudicio ob Cerealis divitias & dignitatem illustres, illustrius repudiasti, ut Christo nuberes virginum & viduarum sponso, ora.

Sancta Fabiola, quæ poenitentiam viduitati conjunctam, ad majorem utriusque commendationem, poenitentiam viduitate, & viduitatem poenitentiam nobilitasti, ora.

Sancta Olympias, quæ cum viduitatem omni humano præsidio destitutam, jejuniis, orationibus & eleemosynis Deo consecrasset, sanctorum Episcoporum innocentiam defendere, & martyr charitatis esse meruisti, ora.

Sancta Bathildis, quæ ex ancillâ humili sancta Regina, & conjuge defuncto sanctior vidua; sublimiori honoris gradu adhuc major, Christo tanquam ancilla servire voluisti, ora.

Sancta Elisabeth, quæ filia Regum, conjux Principis & mater Principum, nobilior vidua, mater pauperum effecta es & sponsa Christi, ora.

Sancta Brigitta, quæ supra mundum eversa mundum contemnendo, à sponso arcana verba audivisti, quæ cum alios doceres, (quod rarum est) non oblita es viduitatis, quæ nullâ realiâ magis quam humilitate commendatur, ora.

Sancta Mathildis , uxor Regis , mater Imperatoris , & (quod majus est) vidua christiana , humilitate & patientiâ celebris , quæ sunt vera ornamenta viduarum , ora

Sancta Catharina Genensis , quam amor Christi viduam fecit , cum non ferendum Deo visum est , ut mortalem sponsum adhuc haberet , quæ ardentissimo amore immortalem tantum sponsum habere merebatur , ora.


Beata Blanca , sancti Regis sancta mater , quæ educatione christianâ optimi Principis , non Galliam solum , sed universam Ecclesiam illustrasti tantâ Ludovici Regis sanctitate , ora.

Beata Mater de Chantail , cujus viduitas ditavit Ecclesiam numerosâ prole virginum , quarum vitam tam perfectè imitata est , ut quod deesse poterat virginitati , abundantiam charitatis & virginitate tot filiarum suppleretur , quæ tantâ matre meritò glorientur , ora.

Felix Antonia d'Orleans , quæ mortem charissimi conjugis tam malè ulciscendo , Deum tam benè ultra es , peccatum emendando non solum totius vitæ poenitentiam , sed perpetuâ quadam successione poenitentiae , instituto in Ecclesiâ novo ordine virginum , quæ cum filias Calvariae se nominaverint , non intermitten-

dam crucis adorationē profitentūr, quā
ipsa in corde ut & corpore portasti, ora.

Omnes sanctæ viduæ, quæ in morte
acerbâ maritorum, veræ vitæ initium
invenistis; & dolore naturæ sapienter
converso in dolorem pœnitentiæ, in lo-
cum sponsi mortalis immortalem spon-
sum, dignâ Deo misericordiâ, invenistis,
orate.



ORATIONES

VARIIS VITÆ CONDITIONIBUS
convenientes.

PRO PRÆPOSITO.

I.

*Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in
Paradiso Dei mei. Apoc. 2. 7.*

DOMINE Jesu, Pastor bone, qui po-
suisti animam tuam pro ovibus
tuis; offers mihi edere de ligno tuo, cru-
ce tuâ, quæ est in paradiso tuo, Ecclesiâ
tuâ. Fac ut tibi confixus cruci, hauriam
ex eâ fidei firmitatem, ad passionis tole-
rantiam. Paraisti in conspectu meo men-
sam; id est, crucem, dum me Pastorem
designasti. Hortaris ut pugnem, & labo-
rem; adjuva ut vincam, & athleta tuus
inde sublever unde premo. Esto mihi
& lignum & baculus, cui securus in-

cumbam , ne succumbam. Jubes ut sedeam ad mensam tuam , & edam ; da verbum in ore meo , ut quasi divinæ legis gladio perimam quidquid carnale fuerit in populo tuo , quem & vitæ sanctitate & puritate doctrinæ condiri voluisti.

Da cor rectum & sapiens , quod ex te sumat audaciam ; ut opportunè & importunè arguam , obsecrem , increpem in omni patientiâ ; & cùm tentationum procellas increfcere extrinsecus videro , secessum spei Dominicæ appetens , fugiam intra conscientiæ portum , ubi coram te effundam cor meum. Esto brachium meum in manè , & salus mea in tempore tribulationis. Curram ad te pedibus dilectionis tuæ & proximi , ut sim vicarius amoris tui. Sit amor , sed non emolliens ; sit rigor , sed non exasperans ; amem bonos , ut perseverent ; malos amem , ne pereant ; omnibus prosum , ut in æterna pascua deducantur , ubi de te satientur. Non reputo laborem , dummodò consummam cursum meum , paratus laborare & mactari , ut sic edam de ligno vitæ , quod est in paradiso Dei mei. Amen.



nostra curemus, sed ut aliena. *Væ mihi, Domine, si non parcis. Si nobis tantum vivimus; quæcunque sit virtus, non vivimus, quia aliis vivendum est. Quid faciam, Domine? Non hoc agitur ut salvemur, sed ut salventur. Ut lateris propter illos. Tua verba sunt, & hoc injungis. Quomodo propter illos lætabimur, nisi propter nos non lætemur.*

Adjuva me, Domine. Da mihi cor paternum, quod privatos affectus nesciat, quod totum sit servorum tuorum. Insolens, sed vera precatio, si faveas: Fac me velut extraneum in corde meo, in quo habites cum servis tuis. Ibi minùs es, ubi magis sum. De illis cogitem, non de me; propter illos læter, non propter me. Totam meam tristitiam vindicent sibi, & non sit pars mihi in eâ. Timor meus pro illis sit, non pro me. Illis laborem, non mihi. Ita meus ero, si meus non sim; quia tuus ero, si pertinero ad servos tuos, hoc tantum ambiens ut salventur.

Proprias injurias, (si fortè lædimur) semper obliviscamur; sed nunquam obliviscamur tuas. Non sit quod condonemus; sed sit tanta pietas, ut sentiamus tantum quod aliorum est, nec unquam dolore proprio torqueamur. Absit hoc à me, Domine, ut despici me agnoscam

cùm despiceris , & cùm periclitantur qui despiciunt. Sensus meus , sit Domini mei , & filiorum Domini mei. Non sum mei juris ; nec jam me spectat quod tantùm meum est. Non est cor paternum , quod aliâ curâ tangitur quàm filiorum. Sit in eo fornax amoris tui , in quâ peccata purgentur , nobis , seu potius tibi obedientium. Nunquam succendatur igne privato. Ignis enim quem venisti mittere in terram , non privatus est , sed communis ; & totius corporis vita est , non unius tantùm membri. Etiam quæ privati sunt , illum extinguerent , si privatim de eo gaudere vellent : quantum hoc magis in corde paterno cavendum est , quod non est suum.

In eo tribunal constitue , in quo audias vocem lacrymarum mearum , antequam judices causam servorum tuorum. Felices filii , quorum causam cognoscis in corde patris ; felix pater , in cujus corde filii absolvuntur. Da mihi , Domine , lacrymas istas absolutrices , quæ tibi famulentur in condonandis omnibus iniquitatibus servorum tuorum ; ut omnium unum te amantium hoc sit unum negotium , Ecclesiæ tuæ amor & cura. Etiam , Domine , jube & fac , ut sic fiat. Amen.

Vide Deus protektor f. 2714

PRO PRÆPOSITA.

Da mihi liberos, alioquin moriar. Gen. 3. 1.

DA mihi liberos, & tantam infunde charitatem ut addere possim, *alioquin moriar*. Non imputares, Domine sterilitatem hanc te amanti, si præ dolore orbitatis, contingeret mors charitatis. Sed ut aliæ vivant, libens eligam mortem minùs coram te pretiosam. Elegerunt me in matrem; tu fac matrem, qui ejusdem es cum patre naturæ. Concipiam de spiritu tuo. Da viscera miserationum tuarum, quæ sunt viscera matrum christianarum. Da unde concipiam; da unde pariam. Serva, & multiplica partus ancillæ tuæ. Redde mihi dolorem, à quo sunt liberæ virgines tuæ. Magnâ gratiâ tuâ abstulisti à me tribulationem carnis, & dolorem parientium mulierum filios mortis; sed da mihi pios gemitus spiritûs tui, & dolorem virginibus congruum, ut pariam filios vitæ Domino meo, qui est vita matris & filiorum.

Da mihi, Domine, *cor desideriorum*, parturiens vitam in vitam æternam. Magno horrore fugiam quidquid est seculi, ne noceat parvulis; & non aliud timeam, quàm ne minùs vivat per me quod vivit per te. Placuit tibi ut me indignam in

ministerium vitæ eligeres : nihil aliud faciamus. Tu da vitam, & auge vitam : ego mirer, & laudem autorem vitæ. Tu creas carnem & spiritum filiorum in utero matrum ; absit ut spiritum tuum, qui est vita novæ creaturæ, sibi tribuerent virgines matres ; & ideo neque essent virgines neque matres. *Da mihi liberos ; sed eos agnoscam non esse à me, & ipsi agnoscant se esse à te. Ut sim mater digna tali sponso & talibus filiis, hoc fit unum negotium meum, rogare ut vivant, & gratias agere cum vivunt ; ut solus semper glorificeris, qui vivis & regnas &c.*

PRO ÆDITUO.

Domine, dilexi decorem domûs tuæ &c.

Pf. 25. 8.

DOMINE, qui ædis sacrae tuæ obsequiis inservire me voluisti ; da ut labor ille, qui templo tuo exornando impenditur, sit testimonium munditiæ cordis mei. *Diligam, Domine, decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriae tuæ ; ut ea mente cogitem, quæ manibus tracto. Da cor sanctum, da manus sanctas, da cogitationes sanctas, da ut in me nihil sit non sanctum. Sit ministerium fons votorum, fidei incentivum, pignus hereditatis æternæ. Paveam ad sanctua-*

rium Agni immaculati ; sit hic timor timor amoris , & horror honoris ; quanta est enim , Domine , miseratio hæc tua in me , ut illud meum sit negotium , adesse semper throno misericordiæ ! Eadem sit cura , ne quid obrepat in moribus quod fratrum animos turbet , quæ adhibetur ne pulvis vel quid immundum supersit in templo tuo , quod fidelium oculos offendat , vel eorum in te pios minuatur affectus. Ut religiosus cultus patitur nihil in templo tuo , quod Deum meum minus deceat ; sit amoris cultus , ut cor quod templum est Spiritûs sancti , liberum sit ab omni maculâ & forde peccati , sit plenum charitate Dei & proximi. Ardeat amor ille , qui extingui nunquam debet ; luceat indefinenter in templo tuo , in corde meo ; sit lucerna pedibus meis , affectibus meis ; ut lumen afferam dum tuam domum ingredior. Dominetur in me charitas tua , conterat omnes affectus carnales ; ut finitis carnibus , totus sim spiritus , dum tibi servo qui spiritus es , & qui vis in spiritu & veritate adorari. Sint mores sine avaritiâ , contenti præsentibus ; ut tu , Domine , pars hereditatis meæ , & portio mea in hac valle gementium , sis æterna mea felicitas in terrâ viventium. Amen.

PRO PARVULIS.

Sinite parvulos ad me venire. Marc. 10. 14.

DOMINE Jesu, qui vetuisti ne parvuli prohiberentur ad te venire: iterum hoc apud nos prohibe; ne fortè aliud agentes, eos à conspectu tuo prohibeamus. Nullo malo exemplo prohibeantur: nihil sit in domo tuâ, quod Evangelio tuo non consentiat; sic ad te adducentur; sensim amabunt Evangelium tuum, si amaverimus. Non horrebunt crucem tuam, quam ex animo amari conspexerint. Quantulum est, quod nondum apertis auribus infundî potest? Nondum apertæ aures; sed jam aperti oculi. Videant in moribus nostris, quod nondum audire possunt à docentibus. Quàm contemnendum sit quod mundus miratur, contemptu nostro priùs discant. Exemplis ad fidem priùs quàm præceptis erudiantur; ut cùm jam grandiores docebuntur, audiant non incognita. Quis ita parvulus est, ut se amari non gaudeat? Charitatem non norunt; & jam sentiunt. Cor prius vivit; & quia magis necessarium, sensuum perfectionem antecedit. Priùs ergo doceatur, quod priùs doceri potest.

Charitas tua, scientia cordis. Divinæ huic scientiæ jam apti sunt parvuli; &

quæ magnitudine suâ superat omne ingenium adulatorum, naturali velut aptitudine demittit se ad captum parvulorum. Exhortemur eos tacitis quibusdam adhortationibus; & silentium nostrum audiant, vel mirentur. A paucis institui, ab omnibus affici possunt: afficiantur jam ad virtutem, qui nondum sunt ad discendum idonei. Saltem eos precibus adjuvemus. Teneri gressus; & quamvis via facilis, firmiùs pedem figere non valent: portemus eos coram te; & cum Apostolus tuus moneat levandas manus in orationibus, (quod sacrificium est fidelium tuorum omni tempore offerendum,) non leventur sine parvulis. Manus onustæ pondere charitatis, faciliùs levabuntur. Quod impedimento esset manibus hisce corporeis, juvat manus spirituales. Quò plures complectuntur ut ad te rapiant, eò magis expeditæ sunt, & minùs franguntur lassitudine.

Orationes tam frigidae, parvulorum oratione excitentur; habeant hoc ab illorum innocentia, quòd ardeant. Adjuvet nos illorum simplicitas; adjuvet illos nostra sollicitudo. Nunquid intelligere possunt periculum suum, aut timere? Timeamus non timentibus; ut aliquando timere mereantur. Nunquid gaudere possunt ob donum tuum, quod

non noverunt , qui tantum ob pomum gaudent ? Subveniamus infantiae ; & impedimentum ætatis gaudio nostro emendemus. Confiteamur tibi , Domine, gratiam tuam, quam illis largitus es, & quam tibi confiteri non possunt. Præveniamus eos in confessione nominis tui. Tu semper prævenis tuos ; & quocunque tempore pulsent regiae tuæ januam, tu prior pulsas, qui ipsum orandi & pulsandi affectum inspiras. Hoc ergo tibi , Domine , reddamus , dono tuo , ut parvulos tuos præveniamus. Non taceamus jam , illis tacentibus ; ut non taceant cum adoleverint. Gratiam illorum admiremur , ut quandoque admirentur. Confiteamur, quod confiteantur.

Qualiacunque desideria hæc , velut femina tua, in agro novellarum tuarum occultentur , fructum quem volueris aliquando allatura in tempore opportuno. Tantum non obliviscamur parvulorum tuorum ; & fac eos semper videas in corde orantium. Sit *tantum regnum Dei*. Hoc ipse dixisti, Domine: fiat ergo quod dixisti ; quia verba tua irrita esse non possunt. Verbum Verbi non revertatur vacuum. Da nobis ergo hanc gratiam, ut non pereamus, nec pereant tales, ut sit talium regnum Dei. Amen, amen. Fiat , fiat.

Marc.

10. 14.

PRO PAUPERIBUS,
& Divitibus.

Dives & pauper obviaverunt sibi.

Prov. 22. 2.

DOMINE, qui per Prophetam tuum, futurum dixisti, ut dives & pauper obviarent sibi; imple promissum tuum, & consolare servos tuos. Etiam, Domine; occurrant sibi in viâ tuâ, in salutem suam. Ut sibi occurrant, se invicem quærant. Dives quærat pauperem, cui tutiùs credat divitias, apud se perituras. Pauper divites quærat, non magis sibi de vitâ temporali sollicitus, quàm diviti de vitâ æternâ. Pauperi necessarius dives; sed magis diviti necessarius pauper. Ergo se ita quærant, ut dives majori contentione festinet; diligentius quærat, qui amplius eget.

Mirum in modum opprimitur dives onere mortali divitiarum suarum. Nulli sensus vacant. Totus laborat; & crebrò spiritus vitæ intercipitur. Spinæ feruntur non tantùm graves, sed pungunt. Cor ipsum laceratur; nec uno spinarum genere. Non tam hoc onus, quàm supplicium. Quid dissimulas, & moraris, Domine Jesu? Tu fecisti pauperem, ut subsidio esset pereunti. Si onus monte gravius aliquâ ex parte allevaverit qui

liber est & validior ad portandum, vivet dives, & periculum evadet. Verè, Domine, obviaverunt sibi, cùm mutuâ sibi utilitate inserviant. Eodem remedio utrique consuluisti. Quod datur, non tantùm accipienti prodest, sed largienti. Minùs laborat dives, cùm minùs eget pauper. Etiam, Domine; inde vivat pauper, unde moriturus erat dives.

Aperi, Domine, oculos utriusque. Videat dives, quàm sit pauper; & gemat. Videat pauper, quàm sit dives; & gaudeat. Cur uterque eodem mendacio fallitur? Intelligat dives falsitatem & periculum divitiarum suarum, ut veras quærat & securas. Noverit pauper thesaurum suum; & ut nihil illi ad felicitatem desit, se felicem arbitretur. Hæc fit cura divitum, salus pauperum. Hæc fit cura pauperum, salus divitum. Imitentur pauperes, pauperem Apostolum pauperis Domini sui, qui non quærebat datum, sed fructum dantis: non tam gaudens quòd acciperet ipse, quàm quòd alius largiretur. Ita obvius erit alter alteri, cùm neuter quæret quod suum est, sed quod est alterius. Si enim (quod absit) pauper amat divitias, quas divites nimium amant; quomodo obviabunt sibi? Quî fieri potest, ut pauper qui diviti invidet, diviti occurrat? Quâ viâ

dives occurreret pauperi, cui pauper ipse molestus est; quemque ideo fugit & averfatur? Se ergo ament, ut sibi occurrant.

Eleemofyna tua, Domine, largientem accipienti jungat. Eodem charitatis tuæ vinculo, dives & pauper astringantur. Ita enim, nimium non abundabit dives, nec nimium indigebit pauper. Sic amet pauper divites, ut divitias ode-rit: sic amet dives pauperem, ut aliquando paupertatem ipsam amare mereatur. Etiam, Domine; fit præmium in paupere dilecti divitis, contemptus ipse divitiarum. Sit præmium in divite veri erga pauperes amoris, amor ipsius paupertatis; ut uterque in te tantum gloriatur, Domine, qui solus es verè pauper, & verè dives, qui cum Patre &c.

Vide Ad sanctos Pauperes & sanctos Divites. p. 294.

P R O O P E R A R I I S.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo.
Genes. 3. 19.

DOMINE, qui justo & misericordi judicio, damnans peccatum ut peccatorem absolveres, jussisti ut in sudore vultus nostri comederemus panem nostrum; da nobis æquitatem amplecti judicii salutaris; ut amantes remedium quo sanamur, honoremus medicum, cu-

ius contemptu tam periculose ægrota-
mus. Causam laboris cogitemus in labo-
re, accusantes nos in spiritu humilitatis;
fructum laboris cogitemus in labore,
laudantes te in spiritu charitatis. Pecca-
to enim nostro factum est, ut damnati
laboremus; & labore nostro fit, quem
nobis quoque donas, ut absoluti regne-
mus. Nam quos humiliasti usque ad
terram inobedientes, erigis usque ad
coelum poenitentes; & vocas ad regnum,
quos paternâ lenitate, necessariæ huic
servituti addixisti.

Etiam, Domine, placet nobis con-
ditio. Volumus esse servi fratrum no-
strorum, ut simus filii Patris nostri qui
est in coelis. O utilem nobilemque ser-
vitutem, quâ regnum comparatur! Et
Filius tuum misisti, qui nobis ministra-
ret. Iniquum esset, servos ipsos non ser-
vire filiis Domini nostri, cum ipse Do-
minus servis suis famulari voluerit. Væ
servis, Domine, non servientibus, Uni-
genito tuo serviente. Nulla nobis major
gloria sit, quàm regem gloriæ imitari.

Et ille quidem manavit largo sudore
sanguinis, ut deliciis amantium, etiam
suo dolore serviret. Sudavit, ut morere-
tur: cum nobis sudorem injunxeris, non
tantum animæ sed etiam corpori utilem,
ut viveremus. Ipse virtus qui æterna est,

lassitudini obnoxius esse voluit, quia amavit nos: pudeat non fatigari, coram eo qui fatigatus est, ut recrearemur: pudeat non amare tam amantem.

Sed respuamus, Domine, amorem nimis delicatum, qui otio conjunctus est. Laboravit qui amavit nos; laboremus & amemus. Non possumus imitari potentiam Verbi tui, mundum universum absque labore creantis: imitemur saltem, infirmitatem laborantis; fatigemur cum Filio tuo qui fatigatus est; & si nobis nihil supersit aliud, sufficit ad salutem fatigari cum Christo. Da nobis ut hæc lassitudo nostra christiana sit; aut potius nostram lassitudinem obliviscamur, quæ infirmitatis soboles est; & forsan pigritiæ; ut Filii tui lassitudinem, quæ potentiæ & amoris fructus est, nunquam obliviscamur; non hominis enim, sed Dei labore salvamur.

Parce, Domine, miseræ lassitudini quam peccando contraximus, & quam obedientia nesciisset; ut solam Filii tui lassitudinem intuearis. In Christi lassitudine, Christum ipsum amplectamur. Fugit nos illius sapientia, non fugiat lassitudo. Fruamur Christo saltem fatigato, qui Evangelizante frui non possumus. Non est qui verbum annuntiet, & fortè non audiremus, in sublimitate ser-

monis & in persuasibilibus sapientiæ verbis ; sed quid fortius ad persuadendum , infirmitate Filii tui ? Loquatur nobis verbum salutis abbreviatum , Christus fatigatus. Fatigati audiamus fatigatum , & nonnullâ defatigationis similitudine gloriemur.

Si quid offerretur ex osse Martyris ; tangere non auderemus nisi involutum : gauderemus certè venerantes. Ecce offertur nobis , non hominis sed Dei ipsius lassitudo. En nullis involucris absconditur. Invitat ipse ad tangendum. Non celeri quodam & prætervolanti tactu , sed diuturno & permanenti , toto corpore tangere possumus thesaurum hunc vitæ , quo vel mortui ad vitam excitarentur. Non impedimur quin omnibus membris usurpemus beneficium. Nulla sit pars quæ non agnoscat Salvatorem. Ecce hîc plus quàm reliquiæ Martyris. En adsunt quædam Christi ipsius velut reliquiæ ; silentio illas , patientiâ , & gaudio amplexi veneremur. Tenemus Christum nobiscum laborantem , tenemus fatigatum : væ nobis , si propter nos fatigatum excludamus.

Quemadmodum illius lassitudo quies nostra est ; ita & in lassitudine nostrâ quietem , & in quiete lassitudinem suam interpretatur. Cùm laborem detrecta-

mus , otio nostro fatigamus Christum ,
& spiritum illius contristamus. Laboremus , ne laboret. Laboremus , quia laboravit. Laboremus , ne ipsi revera laboremus, non amando & non laborando. Laborare enim & amare , nullus labor ; & magna merces, in quiete æternâ regni tui, quod largiris laborantibus & amantibus ; Per Dominum nostrum &c.

P R E C E S A D O P U S M A N U U M .

Eccli.
27. 20.

ANTE omnia opera mea , Domine ,
verbum verax pracedat me , ut verus
sim, & nihil in eâ irrepât falsitatis. Omnia mandata tua veritas ; sint quoque omnia opera mea in veritate , ne à veritate ipsâ rejiciantur , quæ nihil *probare* potest quod non sit suum. Non tam mea sint , Domine , quàm tua , teipso illa in corde meo & in manibus meis operante, per Christum Dominum nostrum.

BENEDIC , Domine, operi manuum
nostrarum , ne sit sterile ; dirige illud & confirma , ne sit instabile ; ad gloriam tuam totum referatur, ne sit inutile ; & nihil se in eo amoris proprii immisceat , ne sit corruptibile , & secundum opera Adam. Sed quod facimus, sit opus justitiæ ob humilitatem , opus

vita ob amorem operantis; ut opus tuum sit, & nos ipsi tui simus.

DOMINE, qui jussisti ut laboraremus, & semper oraremus; da nobis ut utrumque hoc præceptum sollicitè impleamus; laboremus, & oremus. Sic post laborem oratio quietior; sit post orationem labor ipse alacrior. Sed quia simul magis profunt; utrinque ea jungamus. Non sit quidem labor orantis, sed sit oratio laborantis; ut laborem oratio fursùm erigens consoletur; & orationem labor, ex merito pœnitentiæ commendabiliorem reddat.

DOMINE, qui dixisti: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*; da quod Genes.
3. 19. jubes. Etiam, Domine, nec sudor sit sine pane, ne laborans, & non manducans, deficiam; nec panis sine sudore, ne otioso subtrahas, quod laboranti largiris. Nec sint otiosæ manus; sed nec cor otiosum. Sit opus ejus, amor ejus; ut quod laboriosum esse potest in opere manuum, amore tuo leniatur. Causam laboris cogitem in labore; fructum laboris non transeuntem, cogitem in labore transeunte, quo plenum sit opus cordis. Et labor ipse corporis, mentis quietem non excludat; ut non tantùm requies-

cam ab operibus meis, sed in ipsis etiam, te cogitando, te amando, te desiderando requiescam ; per Christum Dominum nostrum.

PRO AGRICOLIS.

Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram. Gen. 3. 23.

Gen. 3. 18. **D**OMINE, qui jussisti ut terra spinas & tribulos germinaret, quos laborando evelleremus; en dono gratiæ tuæ tibi obtemperamus. Spinās peccatis nostris coævās frequenti aratro convertimus: alias tu spinas evelle ex agro tuo, quas ipsi evellere non possumus. Cor nostrum, ager tuus: valeat ad cultum agri tui, quod in agris his nostris operamur. Terram aramus, quæ mortale frumentum afferat morientibus; & hoc, *quia pluis super justos & injustos*, (Nam hujus quoque terræ fecunditas ad benedictionem tuam pertinet:) verte nobis hanc aliam terram, quæ fructum æternum afferat non amplius morituris. **Math. 5. 45.** Muta cor, & verte; ut quod terram tantum respiciebat, post aratrum cœleste, cœlum tantum respiciat.

En seminamus in agro nostro semen, quod etiam tuum est; semina quoque in tuo semen aliud, quod nostrum esse non potest, nisi largiaris. Da nobis ut
duplici

duplici beneficio, & agricolæ tui simus, & sis ipse agricola noster; quia quod præstamus, præterquamquòd necessariæ servitutis est, etiam gratiæ tuæ dono fit ut possit præstari: quod verò tu præstas, gratuitum, & tui juris; tantùm certè misericordiæ est cùm agrum colis tam ingratum. Ergo te laudemus, & cùm illum colis consolando nos, & cùm illum colere non vidéris occultando te; quia & cùm sentimus operantem, charitatis gaudium, & cùm non sentimus, humilitatis securitatem licet minùs securis impertiris.

Non minùs verò laudemus te, quocunque modo erga hanc aliam agriculturam afficiaris. Nam & cùm terræ fecunditatem largiris, autorem fructuum laudemus, christianè utentes: & sterilis anni non minor gratia, quæ ad pœnitentiam vocat, non minùs digna est gratiarum actione; quòd anni fecunditas corpori profit, sterilitas animæ; cùm ipsa interdum necessitas pariat fecunditatem virtutum. A cœlo, non tantùm agrorum, sed cordis ubertatem expectemus: nisi pluas, inanis utraque agricultura est.

Erudiat me labor meus. Ut subactò solo committitur semen: ita & cor meum pœnitentiæ labore molliatur ad

audiendum verbum tuum. Ut frumentum cadens in terram, nisi moriatur & putrescat, infecundum est: ita non credam vitæ meæ, nisi eam mors necessaria præcesserit. Ut semen ab avibus rapitur, quod terra non occultat: ita & me dæmonum furto patere intelligam, nisi Christo consepultus sim, & vita nostra cum eo abscondatur. In omnibus igitur laborem agriculturæ necessarium ita impendam, ut quod in agro cernitur, hoc ipsum in corde intelligatur. Cùm manus labori vacant, & mens operi suo intenta sit.

Opus manuum frumentum spectat: fructus cordis æternus est. Tu, Domine, fructus noster, qui te ipsum largiris, ut te mereamur. Infelix, si non avidius fructum hunc permanentem & beatorum expectarem, quàm fructum transeuntem & miserorum. Cùm alii fructus agrorum oculis aspiciuntur, hic mente cernatur. Ipsum hunc laborem qui terræ impenditur, totum cœlo impendamus. Quod ventri etiam largiri cogimur, non ventris, sed tuum sit; & tibi ob amorem tuum placeat, quod naturæ suæ conditione tibi placere non potest, & majestate tuâ indignum est.

Domine, omnia potes. Frangatur corpus labore, ut poenitentiae serviat;

sed non frangatur animus, ut orationi vacet. Mens aratro emineat superior; & cum operi necessario incumbit, non minus in cœlo sit. Cum conservos ad opus urgebo, (quod humanitatis fines & lenitatis non transeat;) meipsum ad opus tuum urge, periculosius pigrum. Quod illorum saluti utilius erit, mihi quoque utilius arbitrer, privatæ utilitatis inimicus.

Nec jumentis inhumanus sim, nec corpusculo ipsi, quod tuum jumentum est, animæ ad patriam vehendæ necessarium. Quid vulgaribus jumentis congruat, præscribit ratio: quid huic alteri congruat, præscribat fides, præscribat obedientia dux rationis certior; ut semper tibi, & nunquam mihi placeam, qui mihi ipsi adversus sum. Fieri enim non potest, ut tibi non placeat qui sibi non placet; aut ut eum non ames qui tibi placet, cum vel antea amaveris ut placeret. Hunc amorem semper sperem, semper petam, & semper accipiam; per Dominum &c.



O R A T I O N E S
P R O V I N C T I S .

*Mementote vinc̄torum , tanquam simul
vinc̄ti. Heb. 13. 3.*

DE U S , qui Patriarcham Joseph spiritu charitatis , Joannem-Baptistam spiritu zeli & piæ sollicitudinis , Petrum spiritu pacis & quietis , Paulum & Silam spiritu laudis tuæ in carcere implevisti ; concede nobis , quæsumus , iisdem intercedentibus , ut famuli tui , qui pro nominis tui gloriâ descenderunt in foveam , eodem spiritu impleantur. Concaptivis utile charitatis ministerium impendant ut Joseph ; & quia verbum tuum non est alligatum , licet absentes corpore , sed spiritu præsentis , pro salute nostrâ solliciti in orationibus , discipulos ad Christum mittant ut Joannes ; inter quælibet pericula securiores , in fide suâ requiescant ut Petrus. Quicumque sit carceris horror , te laudent ut Paulus ; & qui socii sunt in vinculis , sint etiam socii in laudibus ut Silas.

Sanctifica , Domine , has vinc̄torum tuorum catenas , in spem & remedium libertatis ; ut qui aliquando succedent oneri , succedant unctiõni , crucem Jesu similiter portantes post Jesum , in simplicitate cordis , cum gaudio & consolatione Spiritûs-sancti. Sed tu , Domine ,

qui abundantiam pietatis tuæ , & merita supplicum excedis & vota ; qui dixisti per os ancillæ tuæ : *Si cuius vita in tribulatione fuerit , liberabitur ; qui post tempestatem tranquillum facis , & post lacrymationem & fletum exultationem infundis , subleva nos interim auxilio parvulo , sicut pollicitus es ; ut soluta jam captivitate fervorum tuorum , gratia abundans , per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei ; Per Christum &c.*

OMNES Sancti qui non estis derelicti in vinculis vestris ; vincti spei , vincti Christi ; cum quibus Spiritus sanctus introivit in carcerem , ut Deum laudaretis in carcere ; orate pro nobis.





RUDIMENTA ORANDI,

SEU

VARIA SCRIPTURÆ LOCA,

IN ORANDI ARGUMENTUM.

DOMINE, non novi litteras, & legere non possum in libro vitæ, quem scripsit Spiritus tuus in salutem Electorum, & in quo qui non legit, non vivit. Doce me rudimenta hæc amoris tui; ut unamquamque litteram nominando, & jungendo syllabas salvatrices, quamvis balbutiendo, tandem legam verba Spiritûs, & loqui possim ad Dominum meum quod ipse audiat, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

CHRISTIANI DIGNITAS,
& officium.

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Galat. 3. 27.

S. Clem.
Alex.

HERi mihi! cur tantùm mediâ ex parte Christianus sum? Quomodo abscondam me à Domino meo, qui tam multa videt in me ex mundo, tam pauca ex Christo? Totus sim Christianus,

Domine; & ut tanta dignitas salva sit; quidquid in me, aut ex me est, sit suo modo christianum. Vestis mea & omnis supellex, referat paupertatem Christi. Cibus ipse & potus, sapiat mortificationem Christi. Mores imitentur mansuetudinem Christi, & zelum Christi. Os meum muniatur silentio Christi, aut verbis Christi. Servetur cor meum charitate Christi, & meditatione veritatis Christi. Hei mihi! vel levis imitatio mundi, magna jactura; vel ipsum initium imitationis & meditationis Christi, magnum lucrum est.

Nulla particula boni doni nos prætereat, & nihil amittamus maximi doni tui, quod est Filius tuus; cum omnis locutio, omnis actio, & omnis passio Christi sit remedium & vita Christiani. In cibo & potu nostro, meditemur temperantiam ejus; laborem nostrum erigamus consolatione laboris ejus; in lassitudine nostrâ veneremur lassitudinem ejus; in convictu, admiremur simplicitatem conversationis ejus. Si facto aut dicto lædimur, imitemur mansuetudinem ejus. Si quid nobis displiceat & nimis amarum videatur, recordemur fellis ejus quo potatus est. Si adversitate premamur, gloriemur in tribulationibus nostris ob spinas coronæ ejus; nec fugia-

Eccli.

14. 14.

mus quod elegit in coronam. Denique
omnis vita nostra, sit imitatio vitæ ejus;
ut in morte nostrâ inveniamus requiem
mortis ejus.

Ideo vivam, Domine, ut sim Christia-
nus. Quidquid sciam, quidquid agam,
quidquid patiar, ad hunc finem tam
necessarium referatur. Nulla me alia
occupatio, nullum me aliud spectacu-
lum retrahat ab admiratione Incarnatio-
nis, nulla me infirmitas retrahat ab imi-
tatione passionis; sequens Filium tuum
in perfectâ abnegatione voluntatis.

SACERDOTIUM CHRISTIANORUM.

*Sacerdotium sanctum, offerre spirituales
hostias, acceptabiles Deo per Jesum Chri-
stum. 1. Petr. 2. 5.*

Tertul. **M** IHI ipsi sacerdos sim, ut immolem
Domino meo hostiam beneplacen-
tem. Absint hostiæ Judaicæ; *habeo intus
quod occidam.* Da mihi, Domine, gla-
dium spiritûs, ut interficiam in me quod
vivere non deberet. Fundatur omnis
sanguis Adæ, beneficio sanguinis Filii
tui; & digna erit victima quæ tibi of-
feratur. Offeram tibi & Christo tuo *ho-
stias Christianorum, hostias fidei, spei &
charitatis, quæ cum tuæ sint, tibi displicere non possunt.*

Da mihi adhuc, Domine, alias ho-

stias, quæ præcedentibus hostiis saginatae, in altari tuo offerantur. Ex lectione Scripturarum, & Patrum ac Doctorum Ecclesiae tuæ, comparem mihi hostias virtutum & cogitationum sanctarum, in altari intellectus offerendas. Da mihi ex igne charitatis tuæ hostias precum indefinites, in altari voluntatis tanquam incensum coram te ascendentes. Sit etiam corpus meum, Domine, altare tuum, in quo, ex omnibus laboribus & tribulationibus hujus vitæ, & thesauro poenitentiae colligam hostias patientiæ asperfas sanguine Filii tui, ut salutare sint & beneplacentes.

Hostia christiana, lectio. nes sanctæ, preces, & patientia. S. Clem. Alex.

O nos felices, si felicitatem nostram intelligeremus! Ecce unusquisque christianus, si christianus, templum Dei est, & ipso spiritu Dei consecratum. Da mihi, Domine, ut faciam in hoc templo quod sacerdotes tui faciunt in templis tuis. Celebrantur in eo laudes tuæ in hymnis & canticis spiritualibus; ut nullâ unquam irreligiositate violetur. Fiat cor meum, ob sanctitatem spiritus inhabitantis, ara sanctitatis, & altare mundum oblationis mundæ, in quo adoreris, & immoleris pro salute corporis tui. Amen.

Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. 1. Cor. 4. 16.

S. Ambr.

Vide *Hostia Christianorum* p. 75.

 CONTEMPTUS MUNDI.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. Cor. 4. 18.

AUFER à nobis, Domine, amorem seculi, quod mortale est amanti, & tantummodo innoxium contemnenti. Non amemus viscum quo capimur; nec tam stulti simus, ut quia dulciter capimur, capi non reformidemus.

AMEMUS te, Domine, ut amemus nos sicut oportet; & ex hoc amore
 S. Euch. amor tuus augeatur. *Vita nostra causam agamus adversus mundum, deserto mundi contemptu. Simus nobis ipsi chariores quàm nostra, quæ cum auferre non possimus, nec nostra sunt. Sit nobis vera beatitudo, beatitudinem mundi spernere; & in locum desideriorum erroris, non solum vilium, sed etiam insanorum, amoris tui pretiosa & salutaria desideria succedant. Sit nobis aurum mundi, tanquam lutum quod calcandum est: quod verò lutum est mundo & quod tantopere contemnit, velut aurum cœli habeamus, quo servorum tuorum misericorditer imples thesauros æternos.*

NON nos detineat occupatio secularis, ut experiri mereamur quænam sit consolatio spiritualis. Non amemus negotia mundi, ut amemus negotia cœli, quæ sunt negotia salutis nostræ, omnibus negotiis præferenda. Da nobis, ut vilium & periculosorum negotiorum contemptu & abnegatione nos honorantes, tam utilium & securorum negotiorum magnificentiam impleamur.

Nolite conformari huic seculo. Rom. 12. 2.

INDIGNUM arbitremur, Domine, filios tuos contristari & gaudere cum seculo, quos discernis à seculo, liberas à morte æternâ, & quibus promittis vitam æternam. Magnitudine fidei æternitati inhærentes, mala & bona non solum transeuntia sed etiam momentanea contempnamus. Da nobis gaudium spiritûs tui, vana mundi gaudia & vanam tristitiam vero gaudio & utili tristitiâ excludentis; ne, si non gaudemus de supernis, necessarium sit gaudere & contristari de infimis. Libera nos à gaudio mundi perdente nos, ut in gaudio tuo quiescamus salvante nos.

*Omnis qui bibit ex aquâ hac , sitiet iterum ;
qui autem biberit ex aquâ quam dabo ei ,
non sitiet in æternum. Joan. 4. 13.*

SITI , Domine , tam mortiferâ crucior , ut extingui non possit nisi flumine aquæ vivæ. Immerge me , Domine , in hoc flumen , ut bibam , & avidè bibam ; ut nunquam me deserat hoc flumen , quod amittunt qui non bibunt. Sitiam , Domine , ut bibam ; & adhuc magis bibam , ut sitiam.

Sitim , Domine , hujus mundi reformido tam mortiferam ; nec eam adhuc satis reformido. Da mihi sitim tuam , adversùs hanc sitim. Sitis sitim extinguat ; & multum sitiam , ut non sitiam. Terrena desideria desideriis cœlestibus cedant : & nunc saltem incipiam discipulus esse Domini mei , nihil desiderans eorum quæ videntur.

Libenter abstinenceamus ab aquâ extinguente sitim febrium , ut exigua hæc consolatio amore amoris tui recusata , fiat ipsa remedium animæ febricitantis. Quantum fieri potest , & quantum fieri debet , careamus aquâ saliente in mortem , ut des nobis majorem copiam aquæ salientis in vitam æternam. Amen.

Vide *Superbi agebant* p. 33. *Quam potens* 56. *Oppositionem* 58. *Da nobis* 69. *Charitas habet* 77. *Deus qui Patriarchas* 262. *Deus quem amando* 268. *Deus admirabilis* 283.

VANITAS MUNDI.

Præterit enim figura hujus mundi.

I. Cor. 7. 31.

ADJUVA me, Domine, ut non obdormiam in morte, oblitus mandatorum tuorum; & corde, mendaci suavitate seculi & veneno rerum transeuntium ita coagulato, ut tibi amplius non moveatur. Sed non minus adjuva me, ut obdormiam in vitâ, res hujus mundi videndo non videns, & audiendo non audiens. Nihil hæreat apprehendenti; sed omnia velut jam dormienti è manibus elabantur.

Illumina, Domine, oculos meos, ut sint christiani; nec me decipiant falsa bona, quæ mundus admiratur, vera bona quæ contemnit solùm admirantem.

QUAM stulti, Domine, filii Adam! Unde gloriandum, erubescimus; unde erubescendum, gloriamur. Miserere nostri, & medere pudori tam noxio. Mundum erubescamus, sed non Christum tuum. Da ut intelligamus, quantum sit dedecus detineri vinculis vanitatis, & quantus sit honor transire in libertatem veritatis.

S. Anselm
Lib. 2.
Epist.

Vide *Coagulatum est* p. 37. *Judicium* 55. *O bona* 63.
Doce me intus 64.

PERICULA MUNDI.

Immaculatum se custodire ab hoc seculo.

1. Jac. 27.

*Qui vult
cor sur-
sum ha-
bere, ibi
ponat
quod a-
mat.
S. Aug.*

EN cor nostrum in terrâ putrescit ; quod si sursùm levaremus , servaretur , & viveremus. Leva ipse cor nostrum , Domine. Sed ut sursùm esse possit, nihil amemus deorsùm. Amemus cœlum, conversemur in cœlo, & timeamus terram , & securi erimus , quamvis in medio laqueorum ambulemus.

Timeamus temporalia, quibus miserè decipimur, & miseri fumus ; ut fideliter speremus æterna, quibus erudimur, & quorum spe jam incipimus esse beati.

S. Aug. **A**BRIPIOR torrente sensuum, animam ipsam deorsùm inclinantium. Miserere mei, Domine, & salva me. In medio rerum transeuntium, & secum incautos rapientium, crucem tuam amplectar, quæ me confirmet ; & non auferam oculos ab eo qui semper manet, ne transeam.

Ne nobis noceat tanta infirmitas nostra, abnegemus nosmetipsos, non præfumentes de nobis ; & ut nobis prosit infinita virtus tua, tollamus crucem tuam, tolerantes in mundo pro te quidquid intulerit mundus.

DEUS, qui doces manus meas ad praelium: *Pl. 148.*
 Da nobis tam prudenter cavere serpentis astutias, ut quidquid mundo placet amico serpentis, & sensibus gratum est, ut meritò suspectum fugiamus; quia inde vincimur unde delectamur, inde vincimus unde delectas.

Vide Sancti p. 285. Deus. ibid.

H O R R O R M U N D I.

Mihi mundus crucifixus est. Galat. 6. 14.

OFON s omnis boni essentialis, & ipsum bonum, à quo procedit omne bonum! Da nobis falsa mundi bona, quæ vera mala sunt amantibus quos reddunt malos, non solùm timere, sed fugere & abhorrere; ut impleamur bonis tuis, quæ nunquam mala sunt, & nos faciunt bonos.

Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. 1. Cor. 2. 12.

DA nobis, Domine, spiritum tuum optimum, qui nos liberet à spiritu nostro, & spiritu mundi pessimo; ut conversatio nostra in coelis sit, mundo corde te adoremus, & tecum loquamur in piis meditationibus & affectibus sanctis; hoc orantes, ut gratia spiritualis per unitatem, pacem, & charitatem,

corpus Christi , quod sic est Christi ut Christus sit , ædificare non desinat, omnibus membris in charitate crescentibus, cum per dona gratiæ spiritualis , incrementum acceperint charitatis , in consummationem sanctorum , & gloriam Sancti sanctorum , per Dominum &c.

Vide *Increpasti* p. 26. *Vz nobis.* 63. *Imple* 66. *Superbia* 81.

FUGA MUNDI.

Abcondes eos in abscondito faciei tuae.

Pf. 30. 21.

ECCĒ, Domine , adhuc tenebræ super universam Ægyptum ; ecce adhuc Angelus occidit primogenitos Ægypti; nulla est domus, in quâ non sit mortuus. Adjuva me ut non egrediar tam periculoso tempore grandinis & fulgurum , cum etiam vel securiori tempore sine periculo non exeatur. Contineam me intus , Domine ; foris fideles, intus iusti; foris damnas, intus absolvis.

Foris diluvium , foris periculum. Si autem intus fueris , & foris tutus es. S. Ambr. Lib. de Noe & Arcâ.

FORIS leo , foris periculum. **I**NTREM intus , Domine , ut securus sim. Intus gaudium tuum ; quod non norunt qui sub nimio pondere occupationum exter-
narum , non attrahunt spiritum , & jam non respirant. Intrem intus , & foris tutus sum. Sed si delectat me esse foris ; nec cum intus esse videor , tutus sum.

*Omnis qui reliquerit domum, vel fratres &c.
centuplum accipiet, & vitam æternam
possidebit. Mat. 19. 29.*

DOMINE Jesu, qui nos omnibus renuntiare jussisti; da nobis ut vim hujus nominis piè & sublimiter intelligentes; cùm mundo & nobis ipsis renuntiamus, nihil aliud quàm veris & æternis miseris renuntiare nos arbitremur; ut regni tui & beatitudinis tuæ æternâ societate possimus esse felices.

DA nobis, Domine, ut post regenerationem Spiritûs tui, quo impellente mundum contempsimus, eadem amplius nec agamus, nec loquamur, nec sentiamus cum iis qui nondum amorem seculi contemserunt.

DEUS, qui in nobis omnia opera nostra quibus salvamur operaris: da ut quo spiritu mundum reliquimus, ejusdem gratiâ in cœlo conversemur.

*Vide Inclina p. 30. Da nobis 76. In Mysterium Sepul-
turæ 112. Da nobis quæsumus 266. Domine J. C. 268.*

CH R I S T I A N U S,
Mundi & suiipsius victor.

*Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides
nostra. 1. Joan. 5. 4.*

DA mihi, Domine, fidem, non tantùm rationis, sed sensuum victoricem, inimicis meis consentientium.

De bonis & malis mundi non credam quod credit mundus qui fallitur, sed quod credi jubet qui vincit mundum, & falli non potest: ne idem sentiens quod sentit, vincat à mundo, & damnetur cum mundo.

VINCAM me, ut vincam mundum; quem nemo vincere potest, qui seipsum non vicerit. Vincam me, amando te; ut sis causa & præmium victoriæ meæ. Vincam, Domine; sed sine te non vincam, quia qui sine te vincit, periculosius vincitur.

Deut. 7.
8.

DOMINE *Deus fortis & fidelis*, fac nos fortes, & fideles.

Fac nos fortes adversus mundum sive laudantem, sive reprehendentem; ut neque benedictione neque maledictione moveamur. Fac nos fortes adversus mundi divitias; ut illas contemnendo, ab amore pauperum ad paupertatis amorem transeamus. Fac nos fortes adversus mundi voluptates & falsa gaudia; ut scientiam lacrymarum & dolorem adepti, tantum in Christo delectemur. Amen.

FAC nos sanos in fide, quæ tibi semper credat, nunquam credat sensibus, & figuræ mundi transeuntis. Fac nos sanos in dilectione, ut semper amemus, semper proficiendo magis ac magis amemus, & non soli amemus, quoscunque poterit.

mus ad amorem Dei amando rapientes.
Fac fanos in patientiâ ; ut cùm patimur
 in terrâ , animus in cœlo sit ; sicque , non
 solùm libenter , sed cum gratiarum actio-
 ne & gaudio Spiritûs - sancti patiamur ,
 sponsæ , sponso , & cum sponso patientes.
 Amen.

OMNIPOTENS æterne Deus , con-
 fringe potenti manu tuâ jugum
 iniquitatis nostræ . Confringe funes pec-
 catorum qui circumplexi sunt nos ; ut
 liberati à corpore mortis hujus , te libe-
 rante , verè liberi simus à peccato , & ser-
 vi justitiæ

Da nobis servis tuis libertatem filio-
 rum Dei , de quâ etiam in vinculis glo-
 riabatur Apostolus tuus ; & quâ mun-
 dum vincamus , & omnes quas habet
 mundus terrores , errores , & amores .

Da non solùm spiritum timoris , qui
 cohibeat manum nostram ab opere malo ;
 sed spiritum dilectionis tuæ , qui radi-
 cem omnis operis mali evellat à corde
 nostro .

Da spiritum virtutis , sapientiæ , conti-
 nentiæ , quo cuncta minantia , cuncta sedu-
 centia , cuncta blandientia superemus .

Da vitam fide firmatam , munitam
 bonis operibus , ab hoc seculo immacu-
 latam , in te absconditam , magno perse-
 verantiæ dono munitam . Da ita vivere

ut nobis mori sit lucrum , & vita Christus. Da ita mori , ut moriendo lucrum faciamus æternæ vitæ. Amen.

Vide Vincam p. 46. O Deus fortis. 70.

A D V E R S Û S

triplicem concupiscentiam.

Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. Joan. 2. 16.

QUAM miseræ divitiæ, quæ nos pauperes reddunt ! quàm infelix gloria, quæ nos coram Deo & Angelis reddit infames ! Quàm crudeles voluptates, quæ amatores suos æternis & maximis doloribus obnoxios reddunt ! Libera nos, Domine , à periculo & miserâ falsæ & momentaneæ felicitatis , amore æternitatis.

Da mihi , Domine , contemptum divitiarum ; ut paupertas tua , veris divitiis & inamissilibus divitem me faciat.

Da mihi contemptum honoris , & omnis humanæ gloriæ ; ut qui despiciabilis sum & contemptus, hominum opprobrio coram te honorabilis fiam, honorans Dominum meum.

Da mihi contemptum voluptatis ; ut deliciarum humanarum fastidio, sapiant mihi æternæ ; & gaudium meum sis tu, & quidquid est à te. Contemniam quid-

quid contemnendum est. Meipsum in abdicatione amoris mei & voluntatis meæ contemnam, ne me contemnas.

CONTRA SUPERBIAM
& voluptatem.

Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Philipp. 2. 8.

O ACERBAM & crudelem tyrannidem superbiæ & voluptatis, quæ totum hominem involvit miserâ servitute animæ & corporis! Auxiliare nobis, Domine, adversus pessimos inimicos, destruens in nobis regnum voluptatis amore crucis, & regnum superbiæ amore crucifixi, qui humiliatus est usque ad mortem, & talem mortem.

O regnum amabile humilitatis, & mortificationis tuæ, sub quo totus homo securus est ab omnibus inimicis, & nullâ vi alienâ amittere potest regnum charitatis! Quid enim eum vincet, qui seipsum vincit? Sim, Domine, sub hoc regno crucis, quod parat ad regnum æternum. Sapienter contemnam quidquid hominibus altum est, ne me contemnas ut parvulum insipientem. Sapienter contemnam quidquid carni & sensibus jucundum, ne displiceam Domino meo, & contemnas me. Libera me,

Domine, ab hoc utroque inimico (superbiâ & voluptate) quem cùm vicimus, omnia vincimus; & à quo cùm victi sumus, ab omnibus inimicis vincimur.

L I B E R A me, Domine, à desideriiis carnis militantibus adversùs animam meam, desiderio justitiæ & armis pœnitentiæ; ut caro animæ, & anima tibi perpetuo cultu subjiciatur. Mihi majus voluptatis periculum videatur, quàm doloris; cùm dolor pars sit crucis tuæ, voluptas verò desiderium & pars inimicorum crucis tuæ.

Omni custodiâ serva cor tuum. Prov. 4. 23.

JUBES, Domine, ut omni custodiâ servem cor meum; da mihi ergo charitatem, maximum donum tuum. Nam si absit, nihil est quod custodiam, nihil est quo custodiar. Charitas vigilat adversùs latronem occultum; charitas pugnat adversùs hostem apertum; charitas custodit, & ipsa est quæ custoditur.

ECCE, Domine, si diceretur avaro: Serva pecuniam quam habes, & thesaurum maximum invenies; tam facili mandato, in lucrum suum obediret. Si diceretur superbo: Vilem vestem ne induas, & regnum maximum consequeris; certè non deesset felicitati suæ. Ecce

dicitur Christiano, & tu ipse hoc dicis qui veritas es: *Serva cor tuum*, & time mortem animæ tuæ ut times mortem corporis tui, & eris mensæ meæ socius, ut regnes mecum in regno æterno rex æternus. Væ nobis, Domine; audimus hoc, & pro nihilo habemus panem vitæ desiderabilem, quem qui edunt non moriuntur. Audimus hoc, & contemnimus regnum æternum, quamvis quicumque illud contemnunt, mancipia fiant mortis æternæ. Misere, Domine, tantæ stultitiæ, & fac nos sapientes.

A Q U I N Q U E E R R O R I B U S libera me, Domine.

AB errore spei; ut nihil sperem quod mortale sit, nihil ab homine sperem, nec sperem in homine; perfectè sperans in eam quæ offertur nobis gratiam.

Ab errore timoris; ut non timeam ab homine mortali, te unum timens, & amanter timens, sicut te bonum Patrem timere debet bonus filius.

Ab errore gaudii & tristitiæ; ut unde malè gaudeo inde contrister, & unde malè contristor inde gaudeam per Spiritum tuum; vivens coram te de bono tristitiæ meæ & gaudii mei, in levamentum indigentiae meæ.

Domine, ab hoc utroque inimico (superbiâ & voluptate) quem cùm vicimus, omnia vincimus; & à quo cùm victi sumus, ab omnibus inimicis vincimur.

L I B E R A me, Domine, à desideriiis carnis militantibus adversùs animam meam, desiderio justitiæ & armis pœnitentiæ; ut caro animæ, & anima tibi perpetuo cultu subjiciatur. Mihi majus voluptatis periculum videatur, quàm doloris; cùm dolor pars sit crucis tuæ, voluptas verò desiderium & pars inimicorum crucis tuæ.

Omni custodiâ serva cor tuum. Prov. 4. 23.

JUBES, Domine, ut omni custodiâ servem cor meum; da mihi ergo charitatem, maximum donum tuum. Nam si absit, nihil est quod custodiam, nihil est quo custodiar. Charitas vigilat adversùs latronem occultum; charitas pugnat adversùs hostem apertum; charitas custodit, & ipsa est quæ custoditur.

ECCE, Domine, si diceretur avaro: Serva pecuniam quam habes, & thesaurum maximum invenies; tam facili mandato, in lucrum suum obediret. Si diceretur superbo: Vilem vestem ne induas, & regnum maximum consequeris; certè non deesset felicitati suæ. Ecce

dicitur Christiano, & tu ipse hoc dicis qui veritas es: *Serva cor tuum*, & time mortem animæ tuæ ut times mortem corporis tui, & eris mensæ meæ socius, ut regnes mecum in regno æterno rex æternus. Væ nobis, Domine; audimus hoc, & pro nihilo habemus panem vitæ desiderabilem, quem qui edunt non moriuntur. Audimus hoc, & contemnimus regnum æternum, quamvis quicumque illud contemnunt, mancipia fiant mortis æternæ. Misere, Domine, tantæ stultitiæ, & fac nos sapientes.

A Q U I N Q U E E R R O R I B U S libera me, Domine.

AB errore spei; ut nihil sperem quod mortale sit, nihil ab homine sperem, nec sperem in homine; perfectè sperans in eam quæ offertur nobis gratiam.

Ab errore timoris; ut non timeam ab homine mortali, te unum timens, & amanter timens, sicut te bonum Patrem timere debet bonus filius.

Ab errore gaudii & tristitiæ; ut unde malè gaudeo inde contrister, & unde malè contristor inde gaudeam per Spiritum tuum; vivens coram te de bono tristitiæ meæ & gaudii mei, in levamentum indigentiae meæ.

Ab errore amoris , ab errore tam timendo non amantium te , aut aliud amantium ; ne damno omnium maximo , peritura amem periturus. Nihil ergo amem quod propter te non amem , ne minus te amem ; quod intelligenti maximum adhuc damnum est.

LIBERA me , Domine , à desideriiis erroris excæcantibus cor meum , ne ipsis stolidior sim belluis , quæ fugiunt res noxias & quærunt salutare. Miserere mei , Domine ; ecce averfor & fugio quidquid magis prodesse potest ; & maximo labore quæro quidquid mihi magis nocet.

A TRIPLICI MULTILOQUIO
libera me , Domine.

A MULTILOQUIO filiorum hujus seculi , narrantium mihi fabulationes suas , quæ nocent audientibus & loquentibus. A multiloquio oris mei , in quo non deest peccatum. A multiloquio cordis mei , quod intus patior , & quo clauduntur aures quibus audiendum est quid loquatur in me Dominus meus , ut doceat me facere voluntatem suam , quoniam loquetur pacem in eos qui convertuntur ad cor. Munda cor meum à multitudine tumultuantium cogitationum. Munda os meum à strepitu sermonum multorum

multorum, & ideo noxiorum quia multorum. Hoc petit anima mea misera in conspectu tuo, & confugiens inops ad multitudinem miserationum tuarum.

Fac ut non cogitem, nisi quod placitum est in conspectu tuo. Fac ut non loquar, nisi sermones tuos. Non sit alia vox in me, nisi gemitus mei & laudis tuæ. Non sit alius clamor, nisi Spiritus tui & orationis meæ. Fac silere in corde meo, in ore meo, in opere meo, quidquid te non loquitur. Cessent ubique verba iniquitatis, verba vanitatis, verba inanitatis. Silentium sit exterius, sit & interius; ut per illud perveniamus ad unicum Verbum tuum, maneamus in illo, & per illud in te, & in Spiritu sancto, qui tecum vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

A PPLICA cor nostrum, Domine, ut appropinquemus tibi, & securi simus audiendo te. Cùm enim audimus te, vivimus; cùm non audimus, morimur. Cùm autem non audimus sanantem, audimus trucidantem, & perimus.

Qui custodit os suum, custodit animam suam.
Prov. 13. 3.

DA nobis, Domine, ut os corporis, quo hominibus loquimur, sancto silentio claudentes; os cordis, quo tecum

R

loquimur, sanctiori adhuc silentio tibi
semper aperiamus.

SI L E N T I U M, est oris otium propter cordis
negotium. Ad hoc enim otiatur homo ex-
terior, ut liberiùs negotietur homo interior.
Ad hoc clauditur oris ostium, ut plenius im-
pleatur cordis officium.

Vide Sancte Angele, qui loquebaris. p. 251. Sancti
286.

M O R B O R U M S E N S U S,
sanitatis desiderium; & meden-
tis dignitas & omnipotentia.

Sana me, Domine, & sanabor. Jer. 17. 14.

MI S E R E R E meî, Domine. Quam
potest habere spem salutis, piger
in remediis & creber in morbis? Ecce
moriôr, non quia ægroto, sed quia re-
media habentia sanandi vim respuo. Ve-
rè, Domine, cum medicus qui curat
omnipotens est, solius ægrotantis culpa
est cum non sanatur.

QU I D facilius, Domine, quàm sana-
ri, post mortem medici nostri, quælibet
impedimenta vincentem? Nonne hoc
clamat Spiritus tuus: Dic peccata tua,
ut justificeris? Ecce in confessione mor-
borum nostrorum, si vera sit, sanitatem
nostram constituisti; & adhuc ægrota-
mus. Fac nos humiles, Domine, & au-

ge in nobis sensum & dolorem morbi nostri; quia tantum valemus, quantum de morbo nostro dolemus.

ALII ægri, Domine, sanari volunt; sed quia morbus arte major est, non possunt sanari. Væ mihi qui in morbo graviore & æterno, medico offerente sanitatem, gratis sanante, & præmium sanatis tam magnum largiente, nolo sanari. Miserere, Domine, tam incredibilem miseriam; & tam stultam sana voluntatem; ut volens sanari, saner à Domino meo, qui neminem sanat invitum.

Verè languores nostros ipse tulit . . . & livore ejus sanati sumus. Isai. 53. 4.

VITIA mea, Domine, morbus meus; sanitas mea, spiritus tuus. Periculum morbi tam gravis & tam deformis, adhuc mihi commendabiliorem reddat sanitatem; & nobilitas tam pretiosæ sanitatis, morbi mei majus adhuc odium ingeneret.

Benedictus es, Domine, qui tam magnificè morbos nostros pessimos curare voluisti, ut sanguine tuo & spiritu tuo sanaremur. Etiam, Domine, da mihi spiritum tuum. Nihil aliud largire, si volueris; sed hunc largire. Non illum peto, quia dignus sum, sed ut dignus sim.

Vide Ab ulceribus p.69. Deus 96, Ad SS. Medicos. 298.

R ij

Sanat contritos corde. Ps. 146. 3.

UNICE, sicut creator, sic dominator spirituum Deus, cujus solius gratiâ sanari potest humanus animus à morbo desideriorum noxiorum: concede misericorditer misero peccatori, perficiendæ justitiæ sanam, plenam, perfectamque voluntatem; & illum adhuc turbidum parturitione novæ vitæ muta intus, ubi tu vides; ut exutâ mundo mente illius, & charitate æternitatis veritatisque succensâ, fugiat in beatæ solitudinis & sanctæ poenitentiae portum; sibi que moriens, tibi vivat; per Christum Dominum nostrum.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Ps. 117. 8.

TIMEAM magis, quàm amem auxilium hominis, in quo cum confidimus, tuo priyamur. Firmissimum verò credam esse præsidium, poenitentiam orantis, & orationem poenitentis. Qui enim conversus à viis suis, affligit animam suam coram te, & orat Dominum tam misericordem, confidens in eo, jam salvus est.

Pide Confiteor p. 276. Deus ibid.

QUID TIMENDUM.

UT non timeamus timore ubi non est timor, da nobis, Domine, ut timeamus quod timendum est; timentes ne te non amemus, ne parum amemus, ne amare cessemus; timentes, quia peccavimus; timentes ne peccemus; timentes, ne timeamus eos qui occidunt corpus; timentes ne mundum, aut aliquid mundi timeamus & amemus; & ita timentes, ut à facie peccati, (etsi leve interdum videri posset,) tanquam à facie colubri fugiamus.

PECCATI FUGA, VEL LEVISSIMI.

Ab omni specie malà abstinete vos.

1. Thess. 5. 22.

QUIA nemo repente fit pessimus, impellit dolosus serpens in minora peccata, quæ fingit nulla esse aut levia; ut cum in viâ ruinæ tam lubricâ pedem posuero, facilius dejiciat infirmum, & ferreis catenis astringat, levioribus vinculis jam impeditum. Non audiam, Domine, homicidam. Timeam quidquid tibi displiceat. In levioribus peccatis magna timeam; quæ nisi antea timuerim, tempore necessitatis forsân minùs à me timebuntur. In fugâ leviorum, exerceam me ad fugam graviorum; & simi-

liter in virtutibus parvulorum & facili-
 oribus, amem magnas virtutes, & ad
 illas me exerceam.

MISERERE meî, Domine. Etiam
 cum peccatum timeo, [quod
 erubescendum est] non tam illud amo-
 re tuî timeo, quàm amore meiipfius,
 qui amor peccatum est, & causa pec-
 candi. Peccata quæ sunt ad mortem ti-
 meo, mortem animæ & pœnam inferni
 timens; peccata verò quæ levia ab homi-
 nibus judicantur, & morbum magis ani-
 mæ quàm mortem inferunt, non valdè
 reformido. Heu me! minor mihi est ani-
 mæ cura, quàm corporis. Ecce febrem
 non parum metuo, quia non parum me-
 tuo mortem, quæ ex febre oriri potest,
 & sæpè mortem affert, licet Medicis
 aliter opinantibus; & morbos animæ in
 peccatis levioribus contemno miser,
 quamvis morti æternæ locum dare pos-
 sint, & id sæpè iudicio Dei grave sit,
 quod hominum iudicio leve videbatur.

Morbos corporis, cùm ægrotamus,
 etsi forsan leviores, & graves ipsi judi-
 camus, & graves ab aliis non judicari
 molestè ferremus, quamvis non propte-
 rea ex hac nostrâ & aliorum opinione
 minuantur: morbos verò animæ, quos,
 ad sanandum, prodesset graves & à nobis

& ab aliis existimari, leviores credimus, & credi ab aliis optamus. Miserere, Domine, duplicis stultitiæ; & humiles redde, ut simus sapientes.

Vide Omnia tua sunt p. 55.

EX INFIRMITATE FORTITUDO.

Virtus in infirmitate perficitur.

2. Cor. 12. 9.

SIM infirmus, Domine, quomodo infirmi sunt humiles, ut fortis sim. Non præsumam de me, ut in te confidam; & nihil in me boni inveniam, ut omnia bona possideam in Domino meo. Væ fortibus, qui infirmi sunt. Nihil possim, ut in te omnia possim; & præferam morbum humiliantem quem misericorditer curas, sanitati superbæ quam deseris.

DOMINE, qui docuisti nos, in quovis animæ periculo sufficere gratiam tuam, & virtutem in infirmitate perfici; ecce vides quàm infirmi sumus. Ut ergo virtus tua in infirmitate nostrâ perficiatur, fac tanta sit humilitas, quanta est infirmitas; & ipsa in virtutem convertetur infirmitas.



MORBI CORPORIS,
animæ sanitas.

Tu flagellas, & salvas. Tob. 13. 2.

S. Greg.
Naz.

BENEDICTUS Deus, qui morbo corporis, animam curat. Quid non tibi debemus, Domine, cujus ira, servis tuis etiam beneficium est; qui castigando parcis; & cum tempus poenitentiae elapsum esse videbatur, ipsas naturæ molestias in poenitentiam convertis? Da nobis ut intelligamus, interioris hominis robur ex infirmitate exterioris posse oriri; & morbum finem peccato afferentem, peccatrici sanitati anteponendum.

Quis est homo qui vult vitam? Ps. 33. 13.

Indigens
vita.
S. Euch.

EGO, Domine, vitæ indigentissimus, qui quotidie morior; non sicut moriebatur Apostolus tuus, tibi magis vivendo, & mortem de tuâ cruce gloriosam moriendo; sed sicut moriuntur ingrati & peccatores, qui non vivunt. Da mihi ergo vitam quia morior, & ne amplius moriar, tibi vivendo.

Non sufficit velle vivere, (quod aliquando volunt, etiam qui moriuntur;) da mihi ergo, Domine, ut volendo vitam, quæram vitam; sed eam non

quæram in hac vitâ, in regione umbræ mortis, ubi etiam qui de te vivunt, in perpetuo moriendi periculo versari se conqueruntur. Quæram vitam, ubi est vita: nec aliam præterea quæram vitam, nec aliud mihi sit vivere, quàm te diligere; ut tibi vivendo, verè vivam.

NON sim ex iis, Domine, de quibus prædixit Propheta tuus: *Morientes non vivant.* O infelices mortui qui non vivunt! nec vitam amabunt ut vivant, quia semper morientur. Sed ô beati viventes, qui quotidie moriuntur, quia semper vivant!

Libera me, Domine, à vitâ filiorum seculi hujus, qui nondum vivere moriendo noverunt. Vera vita sine morte esse non potest. Da nobis ut vivamus *Evangelicam vitam, moriendo Evangelicam mortem.*

O D O R V I T Æ.

TRAHE me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Sed ita trahe, Domine, ut solus non curram. Odor unguentorum tuorum, sit nobis odor vitæ; non quo delectemur inaniter, sed quo curramus utiliter in viâ mandatorum tuorum. Odor ille, quasi quidam odor æternitatis, quo sponsæ tuæ spirituali afflatu ad majora certamina recreantur,

amandatis procul desideriis pereuntibus
& pereuntium, desideria in illis & in
nobis producat æterna.

AUT PATI AUT MORI. S. Theres.

O VOCEM sponsæ dignam sponso,
quam igne amoris tui accensa, ex
fundo viscerum ardentium verbis arden-
tibus expressit ut doceret nos mater in
Israël! Sed hoc multum, ad parvulos qui
nondum valent consistere pedibus suis,
& ingredi. Aiebat illa: *Aut pati, aut mori.*
Sed infirmitati nostræ convenientiùs ro-
gamus te, Domine: *aut tibi vivere, aut*
mori. Cur enim vivimus, si tibi non
vivimus? Aut vivam tibi vivendo, aut
certè moriar; ne tuus esse desinendo, in
æternum moriar.

Mihi vivere, Christus est. Philip. 1. 21.

VIVAM tecum, Domine, quia omnis
alia conversatio periculosa est. Vi-
vam de te, quia omne aliud alimentum
venenum est. Vivam propter te, quia qui
sibi vivit & non tibi, non vivit, sed mor-
tuus est.

Mori lucrum. Philipp. 1. 22.

QUAM bonus es, Domine, qui
dum punis, etiam misericors es!
Non sumus amplius immortales, ut

peccatum saltem morte finiatur, quod non minus misericordiae tuæ quàm justitiæ effectus est. Mors ipsa, quamvis pœna peccati, nobis ad verũ peccatum auxilio est. Cogitamus mortem; & periculosiori morte non morimur. Ecce qui te audiunt & prudentes sunt, in morte vitam inveniunt. Imprudentes verò, qui non obediunt mandatis tuis, in vitâ ipsâ inveniunt mortem.

ORANDI NECESSITAS.

Os meum aperui, & attraxi spiritum.

Ps. 118. 131.

MAGNA respirandi necessitas, Domine, quia sine aere moritur corpus; magna invocandi auxilii tui necessitas, quia sine te anima moritur. Cur ergo tam solliciti sumus ut non præcludatur respiratio, & non solliciti sumus ut non intermittatur oratio? Da nobis, Domine, verum sensum necessitatis nostræ; ut nos id magis urgeat, quod magis necessarium est.

*Ore præcis
Deum
habeto
mente,
quàm res-
pires.
S. Chrys.*

FAC me tuum, Domine, ut te verè laudem; & orem te pro tuis, ut adhuc magis tui sint; & pro alienis, ut incipiant esse tui; & simul te laudemus in æternum.

ADVERSUS DISTRACTIONES.

Cor mundum crea in me, Deus. Pl. 50. 12.

Joan.
14. 23.

S. Clem.
Alex.

DOMINE, qui dixisti: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: quomodo fiet istud? Ecce enim vulpes foveas habent in corde meo, & volucres cœli nidos; & non possum abigere eas, quia converti domum orationis tuæ in speluncam latronum. Sed tu, Domine, apud quem non est impossibile omne verbum, & cui facile est subitò honestare pauperem, converte speluncam latronum in domum orationis; *Sanctifica sepulcrum hoc, & fac templum*; ut non sit amplius in intellectu meo spiritus mendax, & omnis similitudo reptilium & idolorum: Non sit in affectu spiritus infirmitatis, spiritus fornicationum, & omnis spiritus immundus. Sed cor mundum crea in me, Deus; ut oriatur in eo verbum veritatis, & simul diffundatur spiritus charitatis; ut renovati in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit nos, corde mundo & secundo intelligentes & amantes & laudantes, ita adhæreamus tibi, ut simus tecum unus atque idem spiritus, in laudem gloriæ gratiæ tuæ, qui vivis & regnas &c.

DA mihi saltem, Domine, ut orem te, cum oro te; nec tempus orationis, sit tempus distractionis; ne inde pejus ægrotem, unde sanari debueram.

AMARE, LAUDARE, ORARE.

QUIDQUID agamus, hoc agamus: amemus, oremus, & laudemus. Si quiescendum est; oratio amantis, sit gaudium quiescentis. Si laborandum est, sit solatium & fortitudo laborantis. Hoc sit nostrum opus, cum nihil agimus; cum aliquid agimus, sit actionis ipsius condimentum, ut tibi sapiat, & nos tibi accepti simus.

Vide Hæc sic p. 57. Cantabiles 34. Sit amor tuus 44.

ORATIONIS, ET BONORUM OPERUM
socius fervor.

*Bona est oratio, cum jejuniis & eleemosynâ.
Tob. 12. 8.*

FAC nos, Domine, ita in bonis operibus & in oratione ferventes, ut nec oratio bonum opus retardet, nec rursus bonum opus orationi impedimento sit; sicque non subtrahatur veritati, quod impenditur charitati.

Nullum sit mihi negotium, nisi charitatis; nullum sit mihi otium, nisi veritati; ut tuus sim, Domine, sive negotiosus sive otiosus.

Vide Toti intremus p. 58.

LITTERA ET SPIRITUS.

Spiritus est qui vivificat. Joan. 6. 64.

Jerem.
11. 15.

1. Cor.
4. 20.

DOMINE, nec carnes sanctæ, nec cogitationes sanctæ auferunt à nobis malitias nostras. Da nobis ergo, ut non ponamus in sermone Regnum tuum, nec temerè confidamus in meditationibus nostris: ne quemadmodum fervi tui, cum id ex officio incumbit, res seculi cogitant & sancti sunt, quia diligunt te, & humiles sunt; ita & nos multum temporis in meditationibus piis vitæ tuæ & mortis tuæ consumendo, reprobi simus, si diligamus hoc seculum, aut superbi simus.

VERBUM SPIRITU,
Carnem Verbi mortificatione
corporis honorare.

*Christus
vicit, omnia
patiēdo
corporaliter,
faciēdo
spiritualiter.
S. Aug.*

QUID dicam, Domine? Res spirituales corporaliter facimus, cum corporeas spiritualiter facere deberemus. Da nobis ut saltem nunc Verbum spiritu, carnem Verbi, mortificatione corporis honoremus. Tantum patiamur corporaliter, quæ corporis laus est; cetera omnia spiritualiter faciamus.

PRO OBTINENDIS VIRTUTIBUS.

AMOR DEI.

Diligam te, Domine. Ps. 17.

DA nobis, Domine, amorem sapientem, veritati tuæ innixum, ut non erret; & hæc sit omnis sapientia nostra, ut nihil præter amorem tuum desideremus; & tam magna dona, non meritis nostris, sed misericordiæ tuæ tribuamus.

Da nobis amorem temperantem; utentes hoc mundo tanquam non utentes; & si mundum integrum amittere oporteret, omnia in te uno acquirentes, nihil in illo amisisse nos arbitremur.

Da nobis, Domine, perseverantem in tuo amore famulatum; ut charitas tua totius vitæ & mortis nostræ vita sit, ne unquam finiatur.

Da nobis amorem zelo tuo accensum; & contemptis omnibus, tantum lucra quærentem animarum, quæ vera lucra sunt; ad quæ cum apti non simus, illis saltem voto, lacrymis, & precibus inserviamus.

Da nobis ardentiorē charitatem adversus tot & tantas tentationes dono perseverantiæ munitam atque firmatam; ut

cum omnibus amoribus , terroribus ;
erroribus suis vincatur hic mundus.

Da nobis , non spiritum timoris quo
persequentibus cedamus , sed virtutes
continentiæ & charitatis , quo cuncta
S. Prosp. minantia , cuncta invitantia , cuncta
cruciantia superemus.

Vide Effata charitatis p. 43.

B E N E D I C T I O A M O R I S .

BE N E D I C T U S sis , Domine , qui
dedisti nobis spiritum tuum , ut
tibi placeremus , & nos amares ; neque
enim amaremus te , nisi nobis ipsum amo-
rem largireris , quo te amamus.

Benedic nobis , Domine , ut simus
benedicti ; sed da nobis benedictionem
amoris tui , quâ filii tui , quibus bene-
dixisti , tibi benedicunt in omni tempo-
re , & quâ nulla alia benedictio potentior.
Hæc una nobis sufficiat , quæ si deesset
sola , etsi muniti aliis omnibus , re ipsa
essemus maledicti.

S P E S E T A M O R .

M. 21.5. **I**N te speraverunt patres nostri , speraverunt
& liberasti eos ; ad te clama:erunt , &
salvi facti sunt. Sperem ergo in te , Domi-
ne , & clamem ad te , ut adhuc magis spe-
rem & magis amem ; ne in me sperando
& me amando , justè confundar.

Vide O beata Charitas p. 58.

**HUMILITAS, VERITAS,
Charitas.**

SIT mihi Trinitatis tuæ imitatio, Deus meus, trinitas hæc virtutis, quæ in humilitate, veritate, & charitate consistit. Si humilis sum, non amo me. Si non amo me, cor mundum est. Si mundum est, lucis tuæ particeps est, & videt. Si verè videt, verè amat; nam quis lucem tam mirabilem non amat, nisi qui non videt; aut quis non videt tam ubique præsentem, nisi qui non amat? Etiam, Domine, amem quod videam; videam quod amem. Hoc votum & felicitas cordis mei. Sed si videat, & amet bonum suum; quid illi deest, nisi ut magis magisque videat, & amet; & semper te fruatur, ut tecum æternum sit, quod sibi relictum, temporale est, & pabulum mortis? Amet, ut non moriatur.

Aperiat tibi cor tam sordidum humilitas, & mundum est. Impleat cor tam captivum veritas, & liberum est. Regnet in corde tam misero charitas, & beatum est, sicque potens, ut omnia illi serviant. Parvus sim, & magnus sum. Nihil sim, & sum omnia, quia tuus sum.

Nihil mihi deest cùm mihi parcat Deus meus, ut ex fecunditate humilita-

ut tibi verâ fide famulemur. Et quia aliquid est in nobis, quandiu vivimus, quod tibi displicet, nobis ipsi semper displiceamus; ut iudicio tuo congruentes, tibi semper placeamus.

V I G I L A N T I A.

Vigilate. Mat. 24. 42.

CUM habeam inimicos non dormientes, quid de me fieret, Domine, si tu non vigilares, qui custodis Israël, & non dormis neque dormitas, vigil æternus? Etiam, Domine, vigila adversus inimicos meos, vigila pro me, vigila ut non amplius dormiam; neque enim parceretur servo pigro & ingrato, si, Domino vigilante, ipse dormiret.

Matt. 26.
40. **D**OMINE Jesu, qui exprobrasti Discipulis tuis, quia non potuerunt unâ horâ vigilare tecum; exprobra hoc mihi, ut utiliter erubescam quia revera non potui unâ horâ vigilare tecum. Sed miserere, & potero, quia omnia potes. Contine sensus meos, ut vigilet cor meum, quod, nisi contineantur, vigilare non potest. Vigilet cor meum adversus mundum, adversus corpus meum, & adversus seipsum; ut semper & sanctè vigilem.

VIGILEM, Domine, quia nescio quâ horâ venturus sis, ne me inveniâs imparatum. Vigilem, ne deficiente oleo extingatur lucerna, & tenebræ succedant sempiternæ. Vigilem ne intrem in tentationem. Vigilem adversus furem insidiantem, ne suffodiat domum, everso charitatis & veritatis fundamento. Vigilem adversus mundi amorem, tam altè insitum atque intimis infixum medullis. Vigilem, ne ulla salutis occasio inutilis elabatur. Vigilem, ne dormiam. Vigilem, ne me amem. Vigilem, ut te amem. Vigilem, ut semper orem. Sed vigilem tecum; quia sine te vigilare, dormire est, & quovis somno periculosius,

Vide Sancte Angele, qui Zachariam p. 251,

TEMPERANTIA.

Sobrii estote. 1. Petr. 5. 8.

TERRET me, Domine, quod dixit unus ex servis tuis: *Neminem intemperantem esse simul & fidelem; & quod ab alio audivi eminenti magistro morum christianorum: nunquam se vidisse intemperantem verè conversum.* Non solum ista me terreat, sed immutent. Non propter fragmen panis deseram Dominum meum & spem regni ejus, magis prophanus quam Esau. Non enim vendi-

dit regnum cœlorum , sed tantum jus hereditatis terrenæ , in quâ nihil præter terram cogitabat ; ego verò panem morientium & panem mortis , præfero miser & insanus pani vitæ , pani æterno , pani regum & facienti reges ! tantum enim verè regnatur , quantum verè manducatur.

NON sit nobis mensa negotium cupiditatis , sed tantum sanitatis ; ne quod vitæ necessarium est militet mortì. Timor tuus , Domine , optimus omnium officiorum magister , subtrahat voluptati quidquid futurum esset oneri ; & ratio mortificationis habeatur , ne (quod absit) crux Christi per quam vivit , excludatur à convivio Christiani ; & ut *vita* Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali.

NON quæramus allia & cucumeres Ægypti , ne manna fastidiamus. Non amemus mensam necessitatis nostræ & servitutis ; sed timeamus periculum nostrum , & ad mensam amoris tui & libertatis nostræ suspiremus ; cum nil magis necessarium videri possit , quàm sapienter præferre cibum vitæ cibo mortis.

Prov. 1. **F**AC nos aquilas , Domine , ut *frustra*
 17. *jaciatur rete ante oculos pennatorum.* Ecce
 Ps. 139. *inimici nostri funes extenderunt in la-*
 6.

queum, juxta iter scandalum posuerunt nobis,
 ut funes non timendo, specie voluptatis
 blandiente, aut ipsâ naturæ necessitate ad
 se attrahendo & astringendo, incidamus
 in laqueum quem timemus. Absit, Do-
 mine, ut credendo agere negotium fa-
 nitatis, agamus incauti negotium cupi-
 ditatis: sed da nobis, ut sapienter ti-
 mendo etiam tuta omnia, sub umbrâ
 alarum tuarum nihil timeamus.

S. Aug.

ABJICIAMUS pondus inutile carnis
 meæ, subtrahendo quidquid illi minùs
 necessarium est; ut portemus crucem
 tuam, quæ à nobis portari non potest,
 aliud quodvis onus portantibus.

GRATIARUM ACTIO POST COENAM.

*Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid
 faciatis: omnia in gloriam Dei facite.*

I. Cor. 10. 31.

BENEDICTUS Deus, qui pascis me
 à juventute meâ, qui das escam
 omni carni. Imple gaudio & lætitiâ cor
 nostrum; ut semper omnem sufficien-
 tiam habentes, abundemus in omne
 opus bonum, in Christo Jesu Domi-
 no nostro, cui tecum gloria, honos, &
 imperium cum Sancto Spiritu. Amen.

Ex S.
 Chryf.
 Hom. 55.
 in Mat.

Gloria tibi, Domine; gloria tibi,
 Sancte; gloria tibi, Rex; quia dedisti
 nobis cibos in lætitiâ. Imple nos Spi-

ritu sancto ; ut inveniamur in conspectu tuo acceptabiles; nec pudore afficiamur, cum reddes unicuique secundum opera sua. Amen.

PAUPERTAS CHRISTIANA.

Beati pauperes ; quia vestrum est Regnum Dei. Luc. 6. 20.

PAUPERTAS tua, Domine, radix perfectionis; cujus est fructus multiplex, sed nimis occultus. Verè thesaurus absconditus; & ita absconditus, ut nec illum noverint tam multi, in quorum possessione esse videtur, videntium illum & manibus tractantium. Da mihi, Domine, ut emam thesaurum hunc; non solum relinquens omnia quæ possidere possum, sed contemnens omnia quæcunque sic ab homine possideri possunt. Magnus enim hic thesaurus, poena est & paupertas mera non ementi, sed regnum est amanti & ementi.

DA mihi, Domine, ut circuncidam quidquid circuncidi potest bonorum externorum; ut plus abundem divitiis simplicitatis tuæ paucis egentis, in quibus est Christi tui pretiosa paupertas, quæ non tantum divites, sed reges, sed Angelos facit.

FAC nos, Domine, *pauperes spiritu,*
ut

ut nihil in nobis inveniat inimicus quod suum sit; & nullas habentes facultates, finiamus mundi cupiditates. Nihil nobis, sed omnia tibi servemus, ut ditiores simus; quia si propter te nihil habeamus, in te omnia possidemus.

DA nobis amorem pauperum, ut obtinere mereamur amorem paupertatis; paupertatem enim amare non potest, qui pauperes non amat; ut firmissimo hoc muniti præsidio, inimicis resistere possimus; quia amor pauperum, regum S. Bern. amicos constituit, amor paupertatis reges.

DEUS noster, qui bonorum nostrorum non egēs; da nobis, ut te aliquo modo imitati, falsorum mundi bonorum, vero illorum contemptu, nec in ipsâ paupertate egeamus; ne illis nos egere sentientes & dolentes, quàm veris bonis egen-tes simus nec sentiamus nec doleamus, quorum inopiam veraciter sentire, verarum divitiarum beatum initium est.

CHRISTUS IN PAUPERE.

*Quandiu fecistis uni ex his fratribus m-
minimis, mihi fecistis. Mat. 25. 40.*

DA mihi, Domine, oculos charitatis, quibus sub velo fidei vidēris in paupere. Da mihi cor charitatis, quo

visitaris & nutriris in paupere. Da mihi spiritum charitatis, quo, cum Dominum meum viderim in paupere, tremens & supplex adorem.

Vide Benedictus p. 49. Caritas Christi 60. Beatitudo 67. Ad sanctos pauperes 294. Pro divitibus & pauperibus 352.

AMOR ECCLESIAE.

O Domine, ego servus tuus, & filius ancilla tua. Ps. 115. 16.

DA mihi, Domine, amorem matris meae, quam multum amari praecipisti. Vivam tibi, & Ecclesiae tuae, adjuvans illam bonis operibus, & (quod adhuc illi gratius) bona voluntate & desiderio cordis mei; nihil enim magis amat quam charitatem, cum sit sponsa charitatis; & nunquam magis a filiis suis adjuvari se arbitratur, quam cum magis amant.

Vide Quidquid amare p. 74. Miserere 217.

AMORE OMNIA FACERE ET PATI.

Omnia vestra in charitate fiant.

1. Cor 16. 14.

INTELLIGAM, Domine, quidquid me volueris facere aut pati, te illuminante; ut idipsum corde magno & animo volenti faciam & patiar, te adjuvante.

Diligenter & sollicitè faciam quidquid tibi magis placere intellexero ; ut intelligere merear quod tibi magis placuerit , & quod à me exiges.

Cùm tam pauper sim & inops , nihil amittam eorum quæ à me fieri aut ferri possunt : sed omnia quæcunque loquar, faciam , aut patiar , ab amore tuo proficiantur , & in amorem tuum desinant.

O DEUS , Verbum caro factum, fac me velle quodcunque vis : fac me nolle quodcunque non vis ; ut ad te conversus , semper cogitem quod es , & quod factus es ; quod fecisti , & quod passus es ; in vitâ tuâ & in morte tuâ inveniens remedium & gaudium vitæ meæ & mortis meæ ; ideoque nihil recusans facere aut pati, quod tibi placuerit ; ut amoris tui dono , amore tuo dignus inveniar ; toto corde te amans , & nihil aliud amans , ne amorem tuum ab alio amore vinci contingat.

Vide Omnium actionum p. 44. Quidquid agamus 68. Cùm in circumfione 69. Cogitationes nostræ 76. Cupiditas 80. Christus 84. Sive in conspectu 85.



visitaris & nutriris in paupere. Da mihi spiritum charitatis, quo, cum Dominum meum viderim in paupere, tremens & supplex adorem.

Vide Benedictus p. 49. Caritas Christi 60. Beatitudo 67. Ad sanctos pauperes 294. Pro divitibus & pauperibus 352.

AMOR ECCLESIAE.

O Domine, ego servus tuus, & filius ancilla tua. Pf. 115. 16.

DA mihi, Domine, amorem matris meæ, quam multum amari præcepisti. Vivam tibi, & Ecclesiæ tuæ, adjuvans illam bonis operibus, & (quod adhuc illi gratius) bonâ voluntate & desiderio cordis mei; nihil enim magis amat quàm charitatem, cum sit sponsa charitatis; & nunquam magis à filiis suis adjuvari se arbitratur, quàm cum magis amant.

Vide Quidquid amare p. 74. Miserere 217.

AMORE OMNIA FACERE ET PATI.

Omnia vestra in charitate fiant.

1. Cor 16. 14.

INTELLIGAM, Domine, quidquid me volueris facere aut pati, te illuminante; ut idipsum corde magno & animo volenti faciam & patiar, te adjuvante.

Diligenter & sollicitè faciam quidquid tibi magis placere intellexero ; ut intelligere merear quod tibi magis placuerit , & quod à me exigas.

Cùm tam pauper sim & inops , nihil amittam eorum quæ à me fieri aut ferri possunt : sed omnia quæcunque loquar, faciam , aut patiar , ab amore tuo proficiantur , & in amorem tuum desinant.

O DEUS , Verbum caro factum, fac me velle quodcunque vis : fac me nolle quodcunque non vis ; ut ad te conversus , semper cogitem quod es , & quod factus es ; quod fecisti , & quod passus es ; in vitâ tuâ & in morte tuâ inveniens remedium & gaudium vitæ meæ & mortis meæ ; ideoque nihil recusans facere aut pati, quod tibi placuerit ; ut amoris tui dono , amore tuo dignus inveniar ; toto corde te amans , & nihil aliud amans , ne amorem tuum ab alio amore vinci contingat.

Vide Omnium actionum p. 44. Quidquid agamus 68. Cùm in circuncisione 69. Cogitationes nostræ 76. Cupiditas 80. Christus 84. Sive in conspectu 85.



DEO NON OBEDIRE,
summa insipientia.

Nonne Deo subjecta erit anima mea?
Ps. 61. 1.

QUID hoc est, Domine? Cùm homini obedio, tibi me obedire existimo, (quod verum est, si verè obediam). Quomodo ergo tibi ipsi non obedio, cùm aliquid imperas? Ecce homo jubet ut jejunem, & jejuno; jubet ut non exeam, & non exeo; jubet ut à consuetudine hujus aut illius abstineream, & abstineo; jubet quæ absque labore & poenâ sensuum fieri aut tolerari non possunt, & obedio. Jubes tu, Domine, ut caream conspectu aliquorum hominum, quos mihi vel morte vel absentia subtrahis, & impatienter fero. Nunquid impatientia, obedientia est? Jubes ut ægrotem; & ita fit, quia id jubes: ego verò servus infidelis, nollem ægrotare. Etiam quæ sapienter jubes in gubernatione mundi & regnorum terræ, sæpe non probo miser, quasi ipsâ sapientia sapientior.

Miserere, Domine, tantæ insipientiæ meæ. Da mihi delectationem mandatorum tuorum, ut possim placere Domino meo. Idem velim, & idem nolim. Quæ

tibi displicent , nunquam probem ; quæ tibi placent, nunquam improbem; sed in omnibus tibi acquiescam , & in voluntate tuâ sit omne gaudium meum , ut semper de te & in te gaudeam. Amen.

O B E D I E N T I , V I C T O R I A E T P A X .

Vir obediens loquetur victoriam.

Prov. 21. 28.

ABSIT, Domine, ut periculosâ ignorantia , pacem tuam *qua exuperat* ^{Philipp. 4. 7.} omnem sensum , non distinguam à pace mundi quæ tota est sensuum. Pax cupiditatis meæ , non est pax charitatis tuæ. Pace frui non arbitrer , cùm fit quod volo; sed cùm, victis diuturnâ poenitentia consuetudine sensibus , non aliud volo quàm quod vis , & quod jubes.

Vide Soliloquia contra propriam voluntatem p. 170.

A M A T O R S U Æ ,
infensor sibi inimicus.

Qui voluerit animam suam salvam facere , perdet illam. Luc. 9. 24.

FAC me , Domine , imitari sapientiam mundi hujus; nam filios seculi ^{Luc. 16. 8.} prudentiores ipse dixisti. Quemadmodum illi non amant inimicos suos , & temerè illis non credunt, nec delectantur

morbis suis ; ita & ego nec meipsum amem , nec in me confidam ; cum nemo tam grave damnum inimico suo inferre potuerit , quantum mihi ipse inferre solitus sum , me amando , mihi credendo , mihi ipsi placendo , & insipienter fovendo morbos animæ meæ.

SENSUUM , INTELLECTÛS ,
& voluntatis ab omni servitute
liberatio.

LIBERA , Domine , corpus meum , & sensus meos à tempestate corruptionis , tranquillitate mortificationis. Libera intellectum meum à tenebris mendacii , & ab omni idolo & phantasmate vanitatis , luce tuæ veritatis. Eripe voluntatem meam ab omni jugo iniquitatis , libertate charitatis.

SENSUUM CUSTODIA.

Dixi , custodiam vias meas. Ps. 38. 1.

DA nobis , Domine , veram & integram modestiam ; ut oculis in terram non otiosè dejectis , cor simul in coelum erigatur.

DA nobis , Domine , ut tutissimam regulam necessitatis amplexi) quæ lex tua dici potest) , nec oculorum , nec aurium , nec linguæ aliorumve sensuum

ministerio utentes, nisi cùm necessarium est, in meditatione æternitatis faciliùs perseveremus, nullâ supervacaneâ occupatione impediti.

CÆCUS sim mundo, ut te videam: mutus sim mundo, ut tecum loquar, & non deficiam in orando, ne deficiam in vivendo.

Sepi aures meas spinis, ut nec me, nec mundum audiam; ut *audiam quid loquatur in me Dominus meus*, quem tunc tantùm audire possum, cùm nihil aliud audio. Pf. 84.
9.

Non foris quærenda est lætitia, sed intùs.

S. Aug. in Ps. 4.

DOMINE, qui toties jussisti per Apostolum tuum, ut gauderemus; magnâ curâ tam necessariæ lætitiæ studeam. Quæram eam, sed non foris. Filii tui, non exeundo sed intrando lætantur; quia intùs inveniris. Da mihi unde gaudeam; & da mihi gaudium quo gaudeam.

O C U L I C H R I S T I A N I.

Deus det vobis illuminatos oculos cordis.

Eph. 1. 18.

DEDISTI oculos, Domine, quibus viderentur opera manuum tuarum: dedisti intellectum, quo ipse vi-

dereris, sicut videri potes: Da & illuminatos oculos cordis. Væ mihi! salvi sunt oculi carnis, quibus video creaturas; amisi verò oculos cordis, quibus viderem Creatorem. Sed (quod omnem fidem superat, & nimis verum est,) multùm dolerem de cæcitate oculorum, quamvis tristitiâ hâc sanari non posset; & nullus mihi est dolor ob cæcitatem cordis, quo tamen sanaretur.

DA mihi, Domine, oculos, quibus legam in libro naturæ tam grandibus litteris exarato, quem coram omnibus gentibus expandisti. Da mihi aures, quibus audiam cœlos enarrantes gloriam tuam. Per Verbum tuum intelligam magna hæc verba omnipotentiae tuæ; ut admirans creaturam, & non hærens in eâ, adorem Creatorem.

Vide *Averte oculos* p. 30. *Aufer* 45. *Aperi* *ibid.* Tu *Aperis* 55. *Amor tuus* 74. *Deus in quem* 205. *Deus qui vides* 303.

QUID ADMIRANDUM!

NON admiremur bona quæ non prodest admirari, quia aliena sunt; & quæ nocet admirari, quia vana sunt. Omnem admirationem nostram nimis angustam, servemus magnitudini beneficiorum tuorum, ne simus ingrati. Servemus integram misericordiae & justitiae

omnipotentissimæ veritatis , quam incipiendo admirari , incipimus possidere.

Vide *Revela oculos* p. 25.

RECTUS PASSIONUM ANIMI USUS.

Dirigite vias vestras , & studia vestra.

Jerem 18. 11.

NON me delectet , Domine , quod vetas : nec me contristet quod jubes. Sperem tantùm quod promisisti ; timeam tantùm quod minaris. Nec malè irascar , nec malè mansuetus sim. Amem te , & quidquid tuum est : oderim me , & quidquid meum est , ut sim meus : æquum est enim , Domine , ut nec sibi vivat , qui tibi non vivit ; nec suus esse possit , qui tuus esse noluerit.

Quod in me tibi displicet , id quoque mihi displiceat : quod tibi placet in servis tuis , id quoque mihi placeat : quod toleras in quovis peccatore , id quoque libenter tolerem ; ut semper adorem sive misericordiam tuam , sive justitiam tuam.

Vide *Defectio* p. 34. Nullum sit 45. Omnes affectus 50. Charitas etiam 60. Charitas aut gaudet *ibid.* Etiam odium 64. Absit 73. Da mihi 74.

LAUDUM METUS ET ODIUM.

*Melius est à sapiente corripì, quàm stultorum
adulatione decipi. Eccle. 7. 6.*

HOMINUM laudes magis metuam,
Domine, quàm eorumdem repre-
hensionem & contemptum: cùm in con-
temptu securitas sit; & in nostri admira-
tione ingens ferè damnum semper inve-
niatur.

Oderim laudes hominum, quæ pla-
cent superbis, & faciunt superbos. Cùm
tam merear reprehendi, amem reprehen-
siones, quæ placent humilibus & faciunt
humiles. Nam qui gaudent cùm laudan-
tur, & qui dolent cùm reprehenduntur,
non amplius pugnant adversùs inimicos
suos, sed victi sunt, & captivitate suâ
delectantur.

PIÆ SOCIETATIS DONUM,
& utilitas.

*Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare
fratres in unum. Pf. 132. 1.*

ABSIT, Domine Jesu, ut cùm
inter peccatores conversatus sis qui in
te peccabant, quasi inter Angelos qui te
adorant: nos è contra, inter Angelos
tuos & filios tuos, quasi inter homines
conversetur; non intelligentes te in
eis, & donum tuum non venerantes.

s. Ambr.
in Pf. 40.

INOPS sum, Domine non pecuniæ, cuius defectu filii tui divites sunt, sed bonorum operum, quæ intolerabilis paupertas est; & præterea nihil patior, quia parcis infirmitati meæ: & hoc periculosum genus inopiæ. Da mihi ergo, ut sustentem utcunque inopiam bonorum operum, consolatione & gaudio fraternæ virtutis; & magnam, nihil patiendo, inopiam sublevem, compatiendo patientibus: ut nuditatem meam cooperiat coram te gloria tribulationis alienæ, si aliena dici potest gloria membrorum tuorum, in quibus me esse voluisti.

Vide Particeps ego sum p. 36.

PLUS DEO DEBET
qui juvat alterum, quàm qui
juvatur.

Beatius est magis dare, quàm accipere.
Act. 20. 35.

NON minùs misericordiam tuam laudet, Domine, qui juvat alterum, quàm qui juvatur. Cùm enim utrique benefeceris; plus tamen tibi debet, qui majus beneficium contulit. Ut enim plura homini daret, plura à te accepit; & priùs illum adjuvisti, quàm adjuvaret.

VITÆ CHRISTIANÆ COMPENDIUM.

NOVERIM me, noverim te, Domine. Fugiam à me, & fugiam ad te. Et sufficiat mihi Dominus meus: nec timeam mala, quoniam tu mecum es.


UNUM NECESSARIUM.

DEUS, in cujus Evangelio Martha laudata est quòd satageret circa frequens ministerium, & reprehensa quod turbaretur erga plurima: da nobis, illâ intercedente; nec deesse ministerio fervorum tuorum, nec ministrando turbaris ut qui per peccatum ab uno in multa defluximus, unde turbamur, per gratiam tuam à multis ad unum colligamur, unde pacem & silentium cordis, ad te laudandum necessarium, consequamur.



ORATIONES

EX SCRIPTURA SACRA.



IN ORATIONEM DOMINICAM.

Ex Epistolis sancti Pauli.

Pater noster qui es in cælis.

BENEDICTUS Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi; Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui prædestinasti nos in adop-

tionem filiorum per Jesum Christum : solus habens immortalitatem , & lucem habitans inaccessibilem. Cum gaudio gratias agimus tibi , qui dignos nos fecisti in partem sortis sanctorum in lumine : non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore ; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum , in quo clamamus , Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii : & hæredes : heredes quidem Dei , coheredes autem Christi.

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

DA ut imitatores tui simus , sicut filii charissimi : & ut filii lucis ambulemus, in omni bonitate & justitiâ & veritate : probantes quid sit beneplacitum tibi; nec communicemus operibus infructuosis tenebrarum, ne nomen tuum per nos blasphemetur inter Gentes. Dignè Evangelio Christi conversemur , ut simus sine querelâ , & simplices filii tui, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ ; sicut luminaria in mundo , verbum vitæ continentes , ad gloriam tuam in die Christi , ut ambulemus dignè Deo per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes , & crescentes in scientiâ Dei. Da ut sive

manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in gloriam tuam faciamus.

2. *Adveniat Regnum tuum.*

QUIA caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt; hinc flectimus genua nostra ad te Patrem Domini nostri Jesu Christi: ut des nobis secundum divitias gloriæ tuæ, virtute corroborari per spiritum tuum in interiorem hominem: Christum habitare per fidem in cordibus nostris, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore. Tu enim eripuisti nos de potestate tenebrarum, & transtulisti in regnum Filii dilectionis tuæ. Scimus autem, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in coelis: dum autem sumus in corpore, peregrinamur à Domino; ideo desiderium habemus dissolvi, & esse cum Christo.

Propter quod non deficimus. Sed licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsentis est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis,

non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.

3. *Fiat voluntas tua &c.*

TU enim es, Domine, qui operaris in nobis velle & perficere pro bonâ voluntate. Itaque fac ut impleamur agnitione voluntatis tuæ in omni sapientiâ & intellectu spirituali, tibi per omnia placentes: hæc est enim voluntas tua, sanctificatio nostra.

Nolimus conformari huic seculo; sed reformemur in novitate sensûs nostri; ut probemus quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta: nam nostra ad bonum per se nimis infirma est; non enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Da gratiam tuam, ut perficiamus eandem ex animo, sicut administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis.

4. *Panem nostrum quotidianum &c.*

EST magnus quæstus, pietas cum sufficientiâ; nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem

alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

Sint ergo mores nostri sine avaritiâ; contenti præsentibus. Tu enim dixisti: non te deseram neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor. Prope es, Domine. Nihil solliciti simus, sed ubique & in omnibus instituti, sciamus satiari & esurire, abundare & penuriam pati. Ante omnia verò exerceamus nos ad pietatem, quæ ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

Da nobis, non sperare in incerto divitiarum, sed in te Deo vivo, qui præstas nobis omnia abundè ad fruendum; benè agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, libenter communicare, thesaurizantes nobis fundamentum bonum in futurum, ut apprehendamus vitam æternam.

Potens es autem, ô Deus, omnem gratiam abundare facere in nobis; ut in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum. Qui autem administras semen seminanti, & panem ad manducandum præstabis.

5. *Et dimitte nobis debita nostra &c.*

QUONIAM non habitat in carne nostrâ bonum, ut non quod volumus bonum hoc faciamus, sed quod nolumus malum, hoc agamus: & regnante peccato in nostro mortali corpore, obedivimus concupiscentiis ejus: heu quàm sæpe exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato! & divitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis tuæ contempsimus, non curantes quoniam benignitas tua ad pœnitentiam nos adducit; secundum autem duritiam nostram & impœnitens cor, thesaurizavimus nobis iram in die iræ & revelationis justi judicii tui, qui reddes unicuique secundum opera sua.

Sed veniat, Pater benignissime, super nos misericordia tua; & ostendens divitias gloriæ tuæ, fac nos vasa misericordiæ tuæ, præparata in gloriam tuam; ut ubi abundavit delictum, superabundet gratia.

Ecce remittimus & aliis minas, ut te Dominum nostrum in cœlis propitium habeamus. Tu nos quoque indue sicut electos tuos, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: ut simus invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut

& tu in Christo donasti nobis ; nulli malum pro malo reddentes , sed si fieri potest , quod in nobis est , cum omnibus hominibus pacem habentes ; non defendentes nosmetipsos ; sed demus locum iræ , tibi relinquentes vindictam ; nec sinamus nos vinci à malo , sed vincamus in bono malum. Quæ pacis sunt fac sectemur ; & quæ ædificationis sunt , in invicem custodiamus.

6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

MEMORES fragilitatis nostræ , rogamus te , Pater piissime , ut tentatio nos non apprehendat , nisi humana ; ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ , ita corrumpantur sensus nostri , & excidant à simplicitate , quæ est in Christo Jesu. Fidelis es Deus ; non patieris nos tentari supra id quod possumus , sed facies etiam cum tentatione proventum , ut possimus sustinere.

7. *Sed libera nos à malo.*

CONFIRMA nos denique , & custodi à malo. Contere satanam sub pedibus nostris velociter , ut non circumveniamur ab eo : non enim ignoramus cogitationes ejus. Da ut induamus nos armaturam tuam , ut possimus stare adversus insidias Diaboli ; & resistere in

die malo , & in omnibus perfecti stare ,
induti loricam fidei & charitatis , &
galeam salutis. Non simus fidentes in
nobis , sed in te , Deus. Ideoque confi-
dimus hoc ipsum , quia qui cœpisti in
nobis opus bonum , perficies usque in
diem Christi Jesu. Fidelem credimus
esse te , qui repromisisti : quotquot enim
promissiones tuæ sunt , sunt Est , &
Amen.

PRO ECCLESIA.

DOMINE, Domine rex omnipotens, Esth. 13.
in ditione tuâ cuncta sunt posita ,
& non est qui possit tuæ resistere volun-
tati , si decreveris salvare Israël. Tu fe-
cisti cœlum & terram , & quidquid cœli
ambitu continetur. Dominus omnium
es , nec est qui resistat majestati tuæ. Et
nunc , Domine rex , Deus Abraham ,
miserere populi tui , quia volunt nos
inimici nostri perdere , & hereditatem
tuam delere. Ne despicias partem tuam,
quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi
deprecationem meam , & propitius esto
forti & funiculo tuo , & converte luctum
nostrum in gaudium ; ut viventes lau-
demus nomen tuum , Domine , & ne
claudas ora te canentium.

Daniel.
9. 4.

OBSEURO, Domine Deus magne & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & declinavimus à mandatis tuis ac judiciis: non obedivimus servis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo. Tibi, Domine, justitia: nobis autem confusio faciei: tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus à te, & non audivimus vocem Domini nostri, ut ambularemus in lege ejus. . . Non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam. *Justus Dominus Deus noster* in omnibus operibus suis quæ fecit: non enim audivimus vocem ejus. Et nunc, Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terrâ Ægypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccavimus, iniquitatem fecimus. Domine, in omnem justitiam tuam, avertatur, obsecro, iratua, & furor tuus, à civitate tuâ Jerusalem, & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra & iniquitates patrū nostrorum, Jerusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exaudi, Deus,

noster , orationem servi tui , & preces
ejus ; & ostende faciem tuam super san-
ctuarium tuum , quod desertum est ,
propter temetipsum. Inclina , Deus
meus , aurem tuam , & audi : aperi oculo-
s tuos , & vide desolationem nostram ,
& civitatem super quam invocatum est
nomen tuum ; neque enim in justifica-
tionibus nostris prosternimus preces ante
faciem tuam , sed in miserationibus tuis
multis. Exaudi , Domine ; placare , Do-
mine ; attende & fac ; ne moreris propter
temetipsum , Deus meus ; quia nomen
tuum invocatum est super civitatem , &
super populum tuum.

D O M I N E Deus omnium creator , *2. Macc.*
terribilis & fortis , & justus & mi- *1. 24.*
sericors , qui solus es bonus rex , solus
præstans , solus justus & omnipotens &
æternus , qui liberas Israël de omni malo ,
qui fecisti patres electos , & sanctificasti
eos : accipe sacrificium pro universo po-
pulo tuo Israël , & custodi partem tuam ,
& sanctifica. Congrega dispersionem no-
stram , libera eos qui serviunt Gentibus ,
& contemptos & abominatos respice ; ut
sciant Gentes quia tu es Deus noster.

M I S E R E R E nostri , Deus omnium , *Eccli.*
& respice nos , & ostende nobis lu- *36. 1.*
cem miserationum tuarum ; & immitte

timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua. Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant te, sicut & nos cognovimus quoniam non est Deus præter te, Domine. Innova signa, & immuta mirabilia. Glorifica manum & brachium dextrum; excita furorem, & effunde iram; tolle adversarium, & afflige inimicum: festina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua. In irâ flammæ devoretur qui salvatur; & qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem. Contere caput principum inimicorum dicentium: Non est alius præter nos. Congrega omnes tribus Jacob; ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua; & hereditabis eos sicut ab initio. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum, & Israël quem coæquasti primogenito tuo. Miserere civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, civitati requiei tuæ. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloriâ tuâ populum tuum. Da testimonium his qui ab initio creaturæ tuæ sunt, & suscita prædicationes quas

locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores. Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur; & exaudi orationes servorum tuorum, secundùm benedictionem Aaron de populo tuo, & dirige nos in viam justitiæ, & sciant omnes qui habitant terram quia tu es Deus conspexor seculorum.

ATTENDE, Domine, de cœlo, & Jsaï. 63^o
 vide de habitaculo sancto tuo & 15^o
 gloriæ tuæ: ubi est zelus tuus & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? super me continuerunt se. Tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos: tu, Domine, pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis: indurasti cor nostrum ne timere-mus te? Convertere propter servos tuos Tribus hereditatis tuæ. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum; hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam, facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

Facti sumus ut immundus omnes nos, Ibid. 64^r
 & cecidimus quasi folium universi, & ini- 6.
 quitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum;

qui confurgat & teneat te ; abscondisti faciem tuam à nobis , & allifisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc , Domine , pater noster es tu , nos verò lutum ; & fictor noster tu , & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris, Domine, satis, & ne ultra memineris iniquitatis nostræ : ecce respice, populus tuus omnes nos. Civitas Sancti tui facta est deserta , Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his continebis te, Domine, tacebis & affliges nos vehementer ?

IN TRIBULATIONIBUS
& adversis confessio peccatorum, &
invocatio misericordiæ Dei.

Tob. 3.
1.

JUSTUS es, Domine, & omnia judicia tua justa sunt ; & omnes viæ tuæ, misericordia & veritas & iudicium. Et nunc, Domine, memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum. Quoniam non obedi-
vimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captivitatem & mortem, & in fabulam & in improperium
omnibus

omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. Et nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, & non ambulavimus sinceriter coram te. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam vivere.

PECCAVIMUS Domino Deo nostro Baruch,
 non obaudiendo voci ipsius. Domi- 2. 5.
 no Deo nostro justitia: nobis autem & patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc. Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc quæ venerunt super nos; & non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum à viis nostris pessimis; & vigilavit Dominus in malis, & adduxit ea super nos, quia justus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis; & non audivimus vocem ipsius, ut iremus in præceptis Domini quæ dedit ante faciem nostram. Et nunc, Domine Deus Israël, qui eduxisti populum tuum de terrâ Ægypti in manu validâ, & in signis, & in prodigiis, & in virtute tuâ magnâ, & in brachio excelso, & fecisti tibi nomen sicut est dies iste. Peccavimus, impiè egimus, iniquè gessimus, Domine Deus noster, in om-

nibus justitiis tuis. Avertatur ira tua à nobis ; quia derelicti sumus pauci inter gentes ubi dispersisti nos. Exaudi, Domine , preces nostras & orationes nostras , & educ nos propter te , & da nobis invenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt , ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, & quia nomen tuum invocatum est super Israël & super genus ipsius. Respice , Domine, de domo sanctâ tuâ in nos, & inclina aurem tuam , & exaudi nos. Aperi oculos tuos , & vide; quia non mortui, qui sunt in inferno , quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem & justificationem Domino : sed anima quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curva & infirma , & oculi deficientes , & anima esuriens dat tibi gloriam & justitiam Domino.

Faruch.
3. 1.

DOMINE omnipotens , Deus Israël, anima in angustiis , & spiritus anxius clamat ad te : audi, Domine, & miserere , quia peccavimus ante te. Quia tu sedes in sempiternum , & nos peribimus in ævum ? Domine omnipotens , Deus Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël , & filiorum ipsorum , qui peccaverunt ante te , & non audierunt vocem Domini Dei sui , & agglutinata sunt nobis mala. Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum , sed memento manus

tuæ & nominis tui in tempore isto; quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te, Domine; quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, & ut invocemus nomen tuum, & laudemus te in captivitate nostrâ, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum qui peccaverunt ante te.

BENEDICTUS es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile & gloriosum nomen tuum in secula, quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis, & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia judicia tua vera. Judicia enim vera fecisti juxta omnia quæ induxisti super nos & super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem; quia in veritate & in judicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccavimus enim, & iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audivimus nec observavimus, nec fecimus sicut præceperas nobis ut bene nobis esset. Omnia ergo quæ induxisti super nos, & universa quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti: & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum. . . . Et nunc non possumus aperire os: confusio & opprobrium facti sumus servis tuis & his qui colunt te. Ne quæsumus, tradas nos

Daniel.
3.26.

in perpetuum propter nomen tuum ,
& ne dissipes testamentum tuum , neque
auferas misericordiam tuam à nobis
propter Abraham dilectum tuum , &
Isaac servum tuum , & Israël sanctum
tuum , quibus locutus es pollicens quod
multiplicares semen eorum sicut stellas
coeli , & sicut arenam quæ est in littore
maris : quia, Domine, imminuti sumus
plusquam omnes gentes , sumusque hu-
miles in universâ terrâ hodie propter
peccata nostra. Et non est in tempore
hoc princeps, & dux, & propheta, neque
holocaustum , neque sacrificium , neque
oblatio , neque incensum , neque locus
primitiarum coram te , ut possimus in-
venire misericordiam tuam ; sed in ani-
mo contrito & spiritu humilitatis susci-
piamur. Sicut in holocausto arietum &
taurorum , & sicut in millibus agnorum
pinguium , sic fiat sacrificium nostrum
in conspectu tuo hodie , ut placeat tibi,
quoniam non est confusio confidentibus
in te. Et nunc sequimur te in toto corde
& timemus te , & quærimus faciem
tuam. Ne confundas nos : sed fac nobis-
cum juxta mansuetudinem tuam & se-
cundâ multitudinem misericordiæ tuæ ,
& erue nos in mirabilibus tuis, & da glo-
riam nomini tuo , Domine.

FINIS.

I N D E X.

<p>Ante orationem prepara animam tuam. pag. 1.</p> <p>Ad postulandum à Deo Spiritum sanctum. 2.</p> <p>Arma lucis. 5.</p> <p>Præcepta vitæ. 8</p> <p>Morbi naturâ insanabiles, cœlesti Medico expositi. 8</p> <p>Mensa divitis. 11</p> <p>Ad postulandas præcipuas virtutes. 13</p> <p style="text-align: center;">DE AMORE DEI.</p> <p>Ad postulandum amorem Dei. 14</p> <p><i>Quis nos separabit à charitate Christi.</i> 15</p> <p><i>Qui manet in charitate, in Deo manet, &c.</i> 18</p> <p><i>Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.</i> 18</p> <p><i>Videte qualem charitatem dedit nobis Pater &c.</i> 19</p> <p><i>Quid enim mihi est in celo &c.</i> 20.</p> <p style="text-align: center;">PSALMUS AMORIS.</p> <p><i>Beati immaculati &c.</i> 22</p> <p style="text-align: center;">ORATIO DOMINICA.</p> <p><i>Pater noster.</i> 38</p> <p style="text-align: center;">EFFATA CHARITATIS. 43</p> <p>Postulatur totius hominis per amorem Dei renovatio. 85</p> <p><i>Diliges proximum tuum sicut teipsum.</i> 86</p> <p><i>Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem &c.</i> 91</p> <p><i>Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.</i> 91</p> <p><i>Dimittite, & dimittimini.</i> 92</p> <p style="text-align: center;">DE INCARNATIONE, VITA, & Passione Domini nostri J. C.</p> <p>Ad postulandum à Deo fructum Incarnationis. 93</p> <p>Soliloquium in adorationem Magorum. 96</p>	<p>De actionibus & conversatione Christi super terram. 98</p> <p>Soliloquium in Agoniam Christi in horto. 99</p> <p>Soliloquium de Jesu portante crucem. 102</p> <p>Simplicitas inter patiendum. 108</p> <p>Consideratio Christi patientis. 108</p> <p><i>Virum dolorum & scientem infirmitatem.</i> 109</p> <p>Soliloquium, <i>Pater, in manus tuas &c.</i> 110</p> <p>In latus apertum. 112</p> <p>In mysterium Sepulturæ. 112</p> <p><i>Qui percussus aspexerit eum, vivet.</i> 114</p> <p>Ad postulandum amorem crucis. 115</p> <p>Lux mentis & puritas actionum, ex amore crucis. 117</p> <p><i>Erit vita tua quasi pendens ante te.</i> 118</p> <p>Ante imaginem Christi crucifixi. 119</p> <p>Ad postulandam humilitatem. 119</p> <p>Confessio hominis miseriam suam & omnipotentem Dei misericordiam agnoscentis. 121</p> <p>Pro obrinendâ pace in tribulationibus. 125</p> <p><i>Beatus vir qui suffert tentationem.</i> 128</p> <p><i>Quem diligit Deus, castigat.</i> 129</p> <p><i>Corripe me, Domine, verumtamen in iudicio &c.</i> 129</p> <p><i>Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.</i> 130</p> <p><i>Iustus es, Domine, &c.</i> 130</p> <p><i>Deus adjutor noster in æternum.</i> 130</p> <p>Contra metum mortis. 131</p> <p>Timenda vita. 135</p>
--	--

- Præparatio ad mortem.** 137
Mors Christi, mortis nostræ solatium, sanctificatio & meritum. 141
Soliloquium in futuram nostram agoniam. 142
DE SS. EUCHARISTIÆ Sacramento.
Præparatio ad sacram communionem. 147
Post sacram communionem. 151
Ad Christum sub Sacramento latentem. 153
Christus justitia nostra & pretium salutis nostræ. 155
Christus pastor bonus. 156
Christus via, veritas, & vita. 157
Amor veritatis. 157
Postulatur amor veritatis, ab omni simulatione alienus. 158
Ad postulandam unitatem & pacem in charitate veritatis. 160
Orate pro invicem, ut salvemini. 161
Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem &c. 162
SOLILOQUIA
in parabolam Samaritani. I. II. 163
SOLILOQUIA
contra propriam voluntatem.
I. II. III.
I. Gemitus animæ anxie, totam se abnegare cupientis, ut tota Dei sit. 170
II. Sibi obedire, crudelis & miserrima servitus: obedire Deo, pax, libertas & omne bonum. 175
III. Christus factus obediens, in veræ & perfectæ abnegationis exemplum. 179
Soliloquium. Sese cogitare, inutile, imo & noxium: Solus Deus cogitandus. 185
Soliloquium. Se amare, vera stultitia. 185
Soliloquium. Cogitare & amare, vita hominis & similitudo cum Deo. 187
Soliloquium, contra nimiam, aut inordinatam tristitiam. 189
Soliloquium de verbis vitæ, & de verbis mortis. 193
Eleemosyna pauperis. 198
Eleemosyna humilis. 201
Soliloquium, in acceptum rationis beneficium. 205
Gratiarum actiones. 209
Postulationes, & interpellationes pro aliorum salute. 215
Ante lectionem Scripturæ sacræ, aut pii alicujus libri. 221
Post lectionem sacram. 225
Orationes studiis christianis præmittendæ. 222
Prius discere à Deo & facere, quàm docere. 134
Oratio S. Thomæ, studiis, & præcipuis vitæ actionibus christianè dirigendis aptissima. 235
AD SANCTOS ANGELOS. 237
Ad SS. Angelos custodes. I. II. III. 242
Ad Angelum custodem. 249
Ad Angelum, qui apparuit Manue. 250
Ad Seraphim, qui calculo tetigit labia Isaïæ. 250
Ad Angelum, qui loquebatur in Zachariâ. 252
Ad Angelum quem vidit Ezechiel signantem Thau &c. 252
Ad Angelum resurrectionis Christi nuntium. 255
Ad Angelum, supremi Judicii præconem. 260
AD SANCTOS.
Ad sanctos Patriarchas. 261
Ad sanctos Prophetas. 262
Ad SS. veteris Testamenti. 263
Ad sanctas mulieres veteris Testamenti. 264
Ad sanctos Apostolos. 265
Ad sanctos Evangelistas. 266
Ad sanctos Martyres. 267
Ad sanctos Innocentes Martyres. 269

I N D E X.

439

Ad sanctos Episcopos & Pastores.	270	Litanie de sanctis Viduis.	315
Ad sanctos Pontifices Romanæ Ecclesiæ.	271	ORATIONES VARIIS VITÆ conditionibus convenientes.	
Ad sanctos Patres Ecclesiæ.	272	Pro Præposito. I. II. III.	340
Ad SS. defensores gratiæ Christi.	273	Pro Præpositâ.	346
Ad sanctos Doctores & Prædicatores.	276	Pro Ædituo.	347
Ad sanctos Diaconos.	277	Pro Parvulis.	349
Ad sanctas Virgines & Martyres.	278	Pro Pauperibus & Divitibus.	352
Ad sanctas Virgines.	279	Pro Operariis.	354
Ad SS. Ordinum institutores.	281	Preces ad opus manuum.	358
Ad sanctos Abbates.	282	Pro Agricolis.	360
Ad sanctos Monachos.	283	Pro vincis.	364
Ad sanctos Ordinis.	284	RUDIMENTA ORANDI.	
Ad sanctos Eremitas.	285	Christiani dignitas &c.	366
Ad sanctos Contemplatores.	286	Sacerdotium Christianorum.	368
Ad sanctos quorum vita magnum ipsa miraculum fuit.	287	CONTEMPTUS MUNDI	370
Ad SS. Reges & Principes.	388	<i>Nolite conformari huic seculo.</i>	371
Ad sanctos Judices, & Magistratus.	289	<i>Omnis qui bibit ex aquâ hac, sitiet iterum &c.</i>	372
Ad sanctas Viduas.	290	VANITAS MUNDI.	373
Ad sanctos Conjugatos.	292	PERICULA MUNDI.	374
Ad sanctos Pœnitentes.	293	HORROR MUNDI.	375
Ad sanctos Pauperes.	294	<i>Non spiritum hujus mundi accepimus &c.</i>	375
Ad sanctos Divites.	295	FUGA MUNDI.	376
Ad sanctos Servos.	296	<i>Omnis qui reliquerit domum &c.</i>	377
Ad sanctos Milites.	297	Christianus, mundi & sui ipsius victor.	377
Ad sanctos Medicos.	298	Adversus triplicem concupiscentiam.	380
Ad sanctos Agricolas.	300	Contra superbiam & voluptatem.	381
Ad SS. desiderio Martyres.	301	<i>Omni custodiâ serva cor tuum.</i>	382
Ad sanctos incognitos.	302	A quinque erroribus &c.	383
Ad sanctos ultimarum temporum.	303	A triplici multiloquio &c.	384
Ad S. Joannem-Baptistam.	304	<i>Qui custodit os suum, custodit animam suam.</i>	385
De sancto Paulo.	305	Morborum sensus &c.	386
Litanie de S. Joanne-Evangelistâ.	307	<i>Verè languores nostros ipse tulit.</i>	387
De sancto Augustino.	309	<i>Sanat contritos corde.</i>	388
De sancto Ludovico.	310	<i>Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.</i>	388
De sanctâ Mariâ Magdalenâ.	310	Quid timendum!	389
Ad sanctam Mariam Bethanitidem.	313	Peccati fuga, vel levissimi.	389
De Peccatrice pœnitente.	315	Ex infirmitate fortitudo.	391
Canticum Sponsæ.	318		

Morbi corporis, animæ sanitas.	392	Amore omnia facere & pati.	410
<i>Quis est homo qui vult vitam?</i>	392	Deo non obedire, summa impietas.	412
Odor vitæ.	393	Obedienti victoria & pax.	413
Aut pati, aut mori.	394	Amator suæ, infensior sibi inimicus.	413
<i>Mihi vivere Christus est.</i>	394	Sensuum, intellectus, & voluntatis ab omni servitute liberatio.	414
<i>Mori lucrum.</i>	396	Sensuum custodia.	414
Orandi necessitas.	395	Non foris quærenda est lætitia, sed intus. <i>S. Aug.</i>	415
Adversus distractiones.	396	Oculi christiani.	415
Amare, laudare, orare.	397	Quid admirandum!	416
Orationis & bonorum operum socius fervor.	396	Rectus passionum animi usus.	417
Littera & spiritus.	398	Laudum metus & odium.	418
Verbum spiritu, carnem Verbi corporis mortificatione honorare.	398	Piæ societatis donum & utilitas.	418
O R A T I O N E S			
pro obtinendis virtutibus.	399	Plus Deo debet qui juvat alterum quam qui juvatur.	419
Amor Dei.	399	Vitæ christianæ compendium.	420
Benedictio amoris.	400	Unum necessarium.	420
Spes & amor	400	O R A T I O N E S	
Humilitas, veritas, charitas.	401	ex Scripturâ sacra.	
Fides & humilitas.	403	In Orationem Dominicam.	420
Vigilantia.	404	Pro Ecclesiâ.	427
Temperantia.	405	In adversis & tribulationibus confessio peccatorum, & invocatio misericordiæ Dei.	434
Gratiarum actio post cœnam.	407		
Paupertas christiana.	408		
Christus in paupere.	409		
Amor Ecclesiæ.	410		

E R R A T A.

- Paginâ 126, lineâ 11, secretiora lege secretaria.*
P. 159, l. 15. prævalebit falsitas lege decipiet falsitas.
P. 161, l. antep. exuparat lege exuperat.
P. 169, l. 1. verè lege vere.
P. 173, l. 4, lege infirmitatibus.
P. 174, l. 23, largitus lege largita.
P. 177, l. 5. intulit adde voluntas nostra.
P. 180, l. 2. amaberis lege sanaberis. l. 18, indigum lege indignum.
P. 260, l. 17 quàm lege quam.
P. 265, l. ult. claritate lege charitate.
P. 274, l. 3, Ecclesiâ lege Ecclesiæ.
P. 278. l. 22, frustum adde panis,
P. 376, l. 20, fideles lege infideles.
P. 379, l. 18, quas lege quos.
P. 400, l. 4, virtutes lege virtutis,
P. 407, l. 12, meæ lege nostræ. l. 18, faciatis lege facitis.
 Extat Privilegium ad calcem Versionis Gallicæ hujusce Operis cui titulus, *Les Gémissemens d'un cœur chrétien &c.*



